DE

AENEAE COMMENTARIO POLIORCETICO.

SCRIPSIT

ADOLFUS CAROLUS LANGE.

PRAEFATUS EST

LEOPOLDUS SCHMIDT.

BEROLINI

SUMPTIBUS S. CALVARY EIUSQUE SOCII.

MDCCCLXXVIIII.

INDEX CAPITUM.

Corrigenda.

Pag.	vers.	
9,	29	pro Zeit l. zeit.
15,	13	„ nisi si l. nisi.
25,	14	„ ἄν l. ἂν.
25,	26	„ μή l. μὴ.
27,	4	„ ἐποιεῖσθε l. ἐποιεῖσθε.
28,	5	post τοιόνδε pone punctum.
28,	11	pro Ἁβδηρῖται l. Ἀβδηρῖται.
28,	23	„ Επιδάμνιοι l. Ἐπιδάμνιοι.
28,	30	„ Αργος l. Ἄργος.
29,	1	„ πολιν l. πόλιν·
29,	3	„ και l. καὶ.
30,	1	„ Αμάσιδος l. Ἀμάσιδος.
31,	4	„ Ελλήσποντον Ἑλλήσποντον.
33,	12	post usurpata pone comma.
36,	8	pro e, gr. l. e. gr.
37,	4	post absolutus dele punctum.
45,	1	pro thitheses l. titheses. — pro 5, l. 5;
47,	4	post idem dele punctum.
48,	31	pro κεκλεϲ- l. κεκλεῖ-.
49,	20	„ consuerunt l. censuerunt.
54,	3	„ των l. τῶν.
55,	14	post desunt pone punctum.
59,	8	pro novembris l. Novembris.
60,	26	„ οὔκ l. οὐκ.
75,	3	„ νόμοῦ l. νόμου.
75,	23	„ perterunt l. poterunt.
87,	5	„ ea) l. ea,
88,	35	post Aeneam dele comma.
92,	12	pro diliculum l. diluculum.
96,	17	„ νεώ l. νεὼ.
96,	28	„ merzal l. mehrzahl.
97,	2	„ vorkerungen l. vorkehrungen.
159,	5	„ tyrranni l. tyranni.
161,	11	„ αγωσσειν l. αγνωσσειν.

Vix ullum unquam fuit tempus, in quo non duplex simul apud diversos exstaret res humanas considerandi ratio: nam ut alii, quos fere idealistas vocamus, in sublimioribus omnibus animos unice defixos habent, ita alii, quibus realistarum nomen impertire solemus, in vulgaribus atque in generis nostri debilitate quodammodo immorari malunt. Quae diversitas etsi ab ipsa hominis natura divelli non posse videtur, illud tamen satis mirum accidit, quod ne ab eius quidem artis, quae si quae alia ad vitae usum spectat, militarem dico, tractatione aliena mansit. Etenim cum ex ea Graeciae aetate, quae inter belli Peloponnesiaci finem et tempora Macedonica interposita erat quaeque scientiae rei militaris initia procreabat, duo ad nos pervenerint ad eam pertinentia scripta, Xenophontis Hipparchicus et Aeneae Tactici Poliorceticus, illius quidem auctor omni ex parte idealistam, huius realistam agit. Scilicet Xenophonti unice cordi est exponere, quomodo imperator civium sibi subiectorum animos ad virtutem et ambitionem accendat, deos autem per

pietatem ac diligentiam in exercendo eorum cultu sibi propitios reddat, quod contra Aeneae praeceptorum magna pars ad prohibendam ipsorum civium proditionem spectat, ut ab hac paratum periculum non minus quam hostium impetum timere videatur. Atque haec res dubitari nequit quin ex parte saltem inde explicanda sit, quod sincerus patriae amor tunc temporis Athenis in natali urbe Xenophontis apud permultos adhuc vigebat, in exiguis autem Graeciae civitatibus, quarum fidam imaginem Aeneas proponit, fere omnis exstinctus erat, verum hoc amplius persequi non est huius loci. Tantum patet, ut de Graecorum erga patriam sensis nec severius nec clementius iusto existimemus utriusque commentarii comparatione opus esse ideoque utrumque dignissimum esse qui lectitetur.

Atqui ut Xenophontis Hipparchicus dudum in omnium manibus est versatus, ita paucos adhuc lectores invenit Aeneae Poliorceticus ob hanc maxime causam, quod diu eum soloecismis plenum atque elegantia destitutum iudicare soliti sunt viri docti. Ac multa eorum quae in illius scribendi ratione offendere videbantur non ipsi scriptori vitio vertenda esse, sed a corruptela et interpolatione originem duxisse nuper demum intellectum est a Rudolfo Herchero, quem ante paucos menses his studiis praematura morte ereptum esse omnes quibus bonae litterae cordi sunt summopere dolent, et Arnoldo Hugio, qui tamen, ut primum invenientibus accidere

solet, in indagandis atque eiiciendis additamentis iusto longius progrediebantur. Equidem non possum meam cum Hugio dissensionem significare, quin simul ob egregium omnes numeros complectentis interpretationis exemplum, quod in Platonici Convivii editione proposuit, gratum viro doctissimo animum profitear, sed cum in castigando Aenea Hercherus modum quendam tenuisset, ille audacius agens omnia quae primo obtutu displicere poterant vel ut spuria vel ut corrupta notavit, ita ut quaeri possit num scriptoris memoriam illustrarit potius an obscurarit. Itaque feliciter evenit ut iuvenis sagacissimus, Adolfus Lange Rotenburgensis, cuius libellum infra positum eruditis hominibus diligenter commendatum velim, novam nunc Aeneae operam impenderet ac normam inveniret, qua certius quam hucusque factum est suppositicia a genuinis apud eum distingui possent: nam in eorum rhetorum et grammaticorum, qui Aeneae verba suis additamentis deformarunt, singulares rationes sollerter inquisivit. Praemisit autem huic quae maximi momenti est disputationis parti accuratam pervestigationem sermonis Aeneani coniunctam cum tractatione eorum quae ad aetatem, patriam ac reliqua eius generis spectant: in qua si quis eum fortasse in Hugii sententiam de hominis patria paulo calidius invectum esse opinabitur, ei reputandum erit cavendum visum esse strenuo iuveni, ne ut olim M. Accii Plauti ita nunc Stymphalii Aeneae nomen firmam quodammodo in historia

litterarum sedem usurparet. Quodsi ea ratio critica a temeritate simul atque a superstitione aliena, quam et in eiiciendis et in conservandis et in mutandis verbis Langius secutus est, viris doctis probabitur, sperari potest plures inde scriptori attentione dignissimo in posterum lectores conciliatum iri.

Dabam Marburgi mense Junio MDCCCLXXVIII.

Leopoldus Schmidt.

Magno ex numero scriptorum Graecorum et classicae, quae vocatur, et posterioris aetatis omnium maxime neglectos esse eos, qui de re militari peculiariter egerunt, cum et ad amplificanda et ad corrigenda ea, quae de bellicis veterum institutis novimus, plurimum conferant, satis constat. Quomodo factum est, ut optimus etiam et vetustissimus omnium militarium scriptorum, Aeneas Tacticus, etsi hoc saeculo saepius a philologis tractatus adeoque emendatus est, ut prorsus alia eius imago nostris quam maiorum oculis proposita sit, nihilominus plurima praebeat, de quibus dubitari, plurima, de quibus disputari possit. Aeneae tractando cum strenuam diu operam navaverim, iis, quae de illo collegi, ad elaborandum hunc libellum usus ne in audaciae crimen incurram, non vereor.

Atque ita quidem rem instituam, ut primum universe de ipso Aenea et de commentarii eius natura disseram, deinde de atheteseon ratione statuenda, tum aliquot locos corruptos tractem.

CAPUT I.

De ipso Aenea et de natura commentarii poliorcetici.

A. De Aeneae operibus et aetate.

Ex operibus Aeneae unus conservatus est commentarius poliorceticus: sed ne hunc quidem certo librorum mss. fides Aeneae tribuit: nam in codice Mediceo plut. LV, 4 libro superscriptum est: *Αἰλιανοῦ τακτικὸν ὑπόμνημα περὶ τοῦ πῶς χρὴ πολιορκουμένους ἀντέχειν.* Qui error inde mihi

videtur ortus esse, quod somniculosus librarius absoluta Aeliani arte tactica, quae in Mediceo proxime antecedit commentarium poliorceticum[1]), statim perrexit verbis *Αἰλιανοῦ τακτικὸν ὑπόμνημα κ. τ. λ.* et argumenti similitudine falsus minus notum Aeneae nomen cum notiore Aeliani commutavit. Nam de Aeliano auctore cogitari non posse et ipsa sermonis discrepantia demonstratur et eo, quod numquam commentarius poliorceticus ab illo scriptus commemoratur; deinde Mediceus codex in extremo libello praebet verba *Αἰνείου πολιορκητικὰ ἢ Αἰλιανοῦ καθὼς ἡ ἀρχή* et Parisinus numero 2443 signatus, qui ex Mediceo fluxit, ineunte commentario *Αἰνείου ἢ αἰλιανοῦ τακτικόν τε καὶ πολιορκητικὸν ὑπόμνημα κ. τ. λ.* Accedit quod satis certis veterum testimoniis Aeneae nomen confirmatur. Cum enim scriptor comment. poliorc. in cap. VII, § 4[2]) dicat: *ὡς δὲ δεῖ ταῦτα γίγνεσθαι καὶ ὡς αἴρειν τοὺς φρυκτοὺς ἐν τῇ Παρασκευαστικῇ βίβλῳ πλειόνως εἴρηται. ὅθεν δεῖ τὴν μάθησιν λαμβάνειν, ἵνα μὴ δὶς περὶ τῶν αὐτῶν γράφειν συμβῇ,* Polybii verbis libr. X cap. 44: *Αἰνείας δὲ βουληθεὶς διορθώσασθαι τὴν τοιαύτην ἀπορίαν* (de *πυρσείας* ratione agitur)*ὁ τὰ περὶ τῶν στρατηγικῶν ὑπομνήματα συντεταγμένος, βραχὺ μέν τι προεβίβασε, τοῦ γε μὴν δέοντος ἀκμὴν πάμπολυ τὸ κατὰ τὴν ἐπίνοιαν ἀπελείφθη . . . φησὶ γὰρ δεῖν τοὺς μέλλοντας ἀλλήλοις διὰ τῶν πυρσῶν δηλοῦν τὸ κατεπεῖγον, ἀγγεῖα κατασκευάσαι κ. τ. λ.* edocemur Aeneam de hac re accuratius

---

[1]) cf. Bandinii catalog. codicum Graecorum biblioth. Laurentianae tom. II Florentiae 1768, pag. 230. — Confecto iam hoc meo libello mihi innotuit novissima Arn. Hugii dissertatio inscripta „Aeneas von Stymphalos, ein arkadischer schriftsteller aus klass. zeit (Gratulationsschrift der univers. Zuerich an die univers. Tuebingen zu deren vierhundertjaehriger stiftungsfeier vom 8.—11. Aug. 1877)", ubi pag. 2 similiter Hugius de hac re indicat. Sententias in eo libello prolatas quantum et res postulare videbatur et fieri iam poterat, respexi: ita alteram huius cap. partem, qua de patria Aeneae agitur, ratione Hugianae argumentationis habita retractavi.

[2]) Paragraphorum numeros secundum Hercheri edit., quacum Hugii divisio congruit, exhibui.

egisse: qui quin idem sit ac commentar. poliorc. auctor, nequit dubitari, quoniam ille l. l. testatur sese de *πυρσείας* ratione egisse, ad quam praeterea VI, 7; XV, 1; XXIII, 6; XXVII, 2 respicit, et nonnullis locis alia militaria scripta ut sua nominat, atqüe in iis verbis, quae Polybius l. l. affert, idem stilus conspicitur, quo comment. poliorc. auctor usus est. Ex Polybii verbis fluxere, quae Suidas sub verbo *Αἰνείας* profert: *οὗτος ἔγραψε περὶ πυρσῶν, ὥς φησι Πολύβιος, καὶ περὶ στρατηγημάτων ὑπόμνημα.*

Quae cum ita sint, recte iam Casaubonus omnesque, qui postea comment. poliorc. tractando operam dederunt, excepto Lindenbrogio[3]), Aeneae librum tribuerunt. Firmavit hanc sententiam F. Haasius, qui l. l. luculenter demonstrat, ipsum Aeneam XXXI, 18 suo nomine usum esse ad explicandum praeceptum, quod dedit de occultissima ratione litterarum secreto mittendarum: *ἐὰν θέλῃς Αἰνείας* (vel secundum Hercherum *Αἰνείαν*) *δηλοῦν τῇ διέρσει τοῦ λίνου, ἀρξάμενος ἐκ τῆς πλευρᾶς τοῦ ἀστραγάλου, ἐν ᾗ τὸ ἄλφα ἐστὶ, παρελθὼν τὰ ἐχόμενα τούτου γράμματα, ὅταν ἔλθῃς εἰς τὴν πλευρὰν, οὗ τὸ ἰῶτά ἐστι, δίειρον πάλιν, παρεὶς δὲ τούτου τὰ ἐχόμενα, ὅπου συμβαίνει τὸ ν̄ εἶναι, δίειρον καὶ πάλιν παρεὶς τὰ ἐχόμενα τούτου, ὅπου τὸ εἶ ἐστὶ, δίειρον τὸ λίνον κ. τ. λ.*

Praeter poliorceticum alios quoque commentarios tacticos ab Aenea conscriptos esse ex Polybii et Suidae verbis, quae attulimus, elucet, idemque Aelianus et ipse Aeneas, ut supra commemoravimus, testatur. Aelianus enim in tact. theor. c. I, 2 dicit: *Περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον τακτικῆς ἐνετύχομεν συγγραφεῦσι Στρατοκλεῖ καὶ Ἑρμείᾳ καὶ Φρόντωνι τῷ καθ' ἡμᾶς ἀνδρὶ ὑπατικῷ, ἐξειργάσαντο δὲ τὴν θεωρίαν Αἰνείας τε διὰ πλειόνων ὁ καὶ στρατηγικὰ βιβλία ἱκανὰ συνταξάμενος, ὧν ἐπιτομὴν ὁ Θετταλὸς Κινέας ἐποίησε, Πύῤῥος τε ὁ Ἠπειρώτης τακτικὰ συνέταξε καὶ Ἀλέξανδρος ὁ τούτου υἱὸς καὶ Κλέαρχος*, et c. III. fin.: *Ὅρον*

---

[3]) cf. Haasium in Jahnii annal. philol. vol. XIV. 1835, p. 93 et 94. — Orellium praef. edit. pag. XIV.

δὲ αὐτῆς[4]) ἔθεντο Αἰνείας μὲν ἐπιστήμην εἶναι πολεμικῶν κινήσεων, Πολύβιος δὲ, ἐάν τις πλῆθος ἄτακτον παραλαβὼν τοῦτο συγκρίνῃ κ. τ. λ. — Aeneas vero ipse saepius lectores, ubi de rebus antea iam ab ipso expositis agitur, ad illos libros delegat: ita commemorantur Παρασκευαστικὴ βίβλος vel Παρασκευαστικόν (sc. ὑπόμνημα) VII, 4; VIII, 5; (XXI, 1); XL, 8; Ποριστικὴ βίβλος XIV, 2; Στρατοπεδευτικὴ βίβλος XXI, 2[5]), quorum librorum primus de bellorum apparatibus, alter de pecunia ad bellum expedienda adhibendaque,[6]) tertius de castrensibus rebus instituendis haud dubie scriptus erat. Quartus accedit is liber, cui Ἀκούσματα inscripsit Aeneas XXXVIII, 5 quemque Casaubonus[7]) suspicatus est continuisse „historias auditas, sylvam magnam exemplorum ad rem militarem pertinentium": neque tamen eundem iure contendere arbitror, omnia exempla, quibus Aeneas in poliorcetico et aliis de re bellica commentariis usus sit, ex hoc libro Ἀκουσμάτων ab eo desumpta fuisse. Neque enim is est Aeneas, qui tot narrationes bis protulisse putandus sit, quippe qui de omnibus

---

[4]) scil. τῆς τακτικῆς.

[5]) Ibi tradita sunt verba περὶ δὲ φυλάκων καταστάσεως καὶ περιοδειῶν καὶ πανείων καὶ συνθημάτων καὶ παρασυνθημάτων τὰ μὲν πολλὰ ἐν τῇ Στρατοπεδευτικῇ βίβλῳ γραπτέον (ὃν τρόπον δεῖ γενέσθαι), ὀλίγα δὲ αὐτῶν καὶ νῦν δηλώσομεν. Hercherus pro γραπτέον in edit. textu posuit γέγραπται, quod necessarium esse equidem mihi persuadere non possum: nemo enim testatur Στρατοπεδευτικὴν βίβλον ante comment. poliorc. fuisse scriptam. Nec aberrare me a vero putaverim, si ita mihi rem fingo, ut Aeneas maiori tactico operi conscribendo deditus, cuius partes praeter commentar. poliorc. ii libelli sint, quos ipse affert, posteriorem τῇ Στρατοπεδευτικῇ βίβλῳ quam comment. poliorc. locum quasi praedestinaverit.

[6]) Iniuria Casaubonus (cf. ed. Orell. p. 160) videtur dubitare, num omnino diversus sit hic liber a priore. Hugii suspicio (cf. l. l. pag. 20) ibi Aeneam templorum thesauros adhibendos suasisse, inde fluxit, quod Arcadem sibi finxit Aeneam; nihil ceterum eiusmodi vanis coniecturis lucramur.

[7]) cf. ed. Orell. p. 285.

iis praeceptis, de quibus alibi egerat, illuc lectores delegaverit. Aliter Hugius statuit l. c. pag. 20, illum librum ratus continuisse „παραινέσεις, ermahnungen, regeln ueber aufmunterungs- und strafreden an die soldaten und die beste gelegenheit hiezu", quae significatio nec ipsa a loco absona est. Sed certi quidquam explorari vix poterit.

Quinti denique commentarii, qui XI, 2 commemoratur, titulus excidit: *ῥηθήσονται δὲ ἑξῆς αἱ ἐπιβουλαὶ ἐκ τῆς * * βίβλου παραδείγματος ἕνεκα, ὅσαι κατὰ πόλιν ἐξ ἀρχόντων ἢ ἰδιωτῶν γεγόνασι, καὶ ὡς ἔνιαι αὐτῶν κωλυθεῖσαι διελύθησαν.* Agebatur igitur ibi de *ἀντιστασιωτῶν* insidiis simulque, quomodo impediendae essent, praecipiebatur. Recte fortasse Koechlyus suspicatur *πολιτικῆς* ante *βίβλου* desiderari, minus bene Casaubonus (l. modo l.) statuit eundem esse hunc librum cum *Ἀκούσμασι*; nam certe Aeneas non scripsisset *ἐκ τῆς Ἀκουσμάτων βίβλου*, sed *ἐκ τῶν Ἀκουσμάτων*, ut XXXVIII, 5 *ἐν τοῖς Ἀκούσμασι.*

Hos igitur quinque libros praeter commentarium poliorcet. ab Aenea compositos esse ipsius verbis demonstratur. Minime vero est, cur putemus alia illum non conscripsisse: nam unde cognitum habemus postremum Aeneae operum esse comment. poliorc? Contra et per se veri est simillimum et propter Aeliani verba, quae supra laudavimus, I, 2 *ἐξειργάσαντο δὲ τὴν θεωρίαν* (sc. *τῆς τακτικῆς*) *Αἰνείας κ. τ. λ.* et III. fin. *ὅρον δὲ αὐτῆς* (sc. *τῆς τακτικῆς*) *ἔθεντο Αἰνείας μὲν ἐπιστήμην εἶναι πολεμικῶν κινήσεων* Aeneam propriis libellis etiam de belli gerendi pugnarumque committendarum rationibus post poliorc. comment. egisse, qui eadem fortunae invidia, qua ii, quos illic commemorat, videntur deperiisse.

Iam hoc loco pauca afferam de indole Aeneae.[8]) Optimum militarium omnium scriptorum appellavi Aeneam,

[8]) cf. Koechlyum in praef. edit. et libri qui inscribitur „Geschichte des griech. kriegswesens" ed. Guil. Ruestowius et Herm. Koechlyus Aarau 1852.

quippe qui non ut homunculi illi umbratiles, Asclepiodotus philosophus, Onosander, Aelianus, Anonymus Byzantinus alii, in libris abditus secundum leges rationesque mathematicas vel ethicas systema suum militare elaboraverit, sed bellis varie exercitus inter ipsa tela armorumque strepitus, quae esset optima pugnandi ratio, didicerit. Qui quanti a veteribus aestimatus sit, postea erit exponendum. Neque vero in comment. poliorc. tam magnas urbes defendendas, copiarum multitudinem disponendam, quam oppidum per suos cives ab insidiis gentium finitimarum et obsidione non nimii exercitus defendendum Aeneam respicere perlustrato eius libello facile unusquisque intelleget. Maritimum autem oppidum maxime ante oculos ei esse versatum inde perspicitur, quod et saepe res maritimas navalesve in ea, quae superest, parte libelli commemorat hisce locis: IV, 5; VIII, 2; X, 8; 12; XVI, 13; XVII, 1; XXIII, 6; XXVIII, 4; XXIX, 12 et alteram partem, quae deperiit, de classe instruenda et de oppido navibus defendendo conscripserat, id quod edocent verba XL, 8: *ἐπεὶ δὲ ταῦθ' ἡμῖν εἴρηται, περὶ ναυτικῆς τάξεως δίειμι. Ναυτικοῦ δὲ στρατεύματος δύο εἰσὶ στόλοι . . .*

De aetate Aeneae cum nihil a veteribus traditum sit, ex ipso opere concludendum est. Ac mihi quidem Koechlyus[9]) recte de hac quaestione iudicare videtur, qui post annum 360. a. Chr. n., fortasse inter annos 360. et 356. comment. poliorc. ab Aenea conscriptum putat. Nam cum Aeneas nullum exemplum afferat, quod anno 360. recentius iudicetur, quo anno Ilion a Charidemo Orita captum putatur, de qua re Aeneas XXIV, 3—14 exponit, post annum 346. librum non esse compositum eo edocetur, quod XXXI, 24 virgines Locrenses quotannis clam immolandi causa Ilion de-

---

[9]) cf. praef. ed. pag. 7—9. Errat Sauppius, cum pag. 729 libri, qui inscribitur, „Goettinger gelehrte anzeigen" 1871. vol. I. dicit nec ante a. trecentesimum sexagesimum et paulo post trecentesimum quadragesimum sextum librum scriptum esse: debebat dicere nec ante a. trecentisimum sexagesimum nec post trecentesimum quadragesimum sextum.

duci narrantur, quae illuc importari desitae sunt μετὰ τὸν Φωκικὸν πόλεμον, ut Tzetzes ex Timaeo Siculo affert,[10]) anno igitur ipso 346. vel paulo post. Cum vero haec § iure ab Herchero[11]) interpolatori tributa sit, apparet ipsum Aeneae libellum iam nonnullis annis ante hoc tempus fuisse confectum, ita ut recte Koechlyus statuisse videatur. Certe Macedonica, quae vocatur, aetate paulo vetustiorem eum esse et alia praecepta satis simplicia demonstrant, et quod Aeneas XXXII, 8 obiter tantum de catapultis et turribus ambulatoriis, quae illo tempore saepe ab obsessoribus adhibitae sunt, exponit, quoniam procul dubio auditione tantum famaque non nimis accurata de illis machinis compererat.[12])

B. De patria Aeneae.

Patria Aeneae quae sit, ex cap. XXVII, 1 verbis cognosse sibi visus Casaubonus non abs re dubitari posse arbitratur, sitne hic ille Aeneas Stymphalius, Arcadum imperator, qui, sicut Xenophon in septimo Ἑλληνικῶν testetur, circa tempora belli, quod adversus Phliasios ab Achivis et Arcadibus gestum sit anno altero Olymp. CIII, vixerit et res Arcadum non sine laude fortitudinis et prudentiae administraverit: idioma sane Peloponnesiorum ac nominatim Arcadum probe sibi notum fuisse l. c. de voce πάνειον agentem eum ostendere.[13]) Quam sagacissimi viri suspicionem novissimus Aeneae editor, Hugius, adeo amplexus est, ut dissertationi, quae inest in libello inscripto „Gratulationsschrift der universitaet Zuerich an die universitaet Tuebingen zu deren vierhundertjaehriger stiftungsfeier vom 8.—11. August 1877" titulum imposuerit „Aeneas von Stymphalos, ein arkadischer schriftsteller aus klassischer zeit." Causas vero, quibus ad hanc sententiam commotus est, inde a pag. 31

---

[10]) cf. Casaub. annot. in Orell. ed. pag. 243 et 244.

[11]) De causis huius ἀθετήσεως cf. Herch. annotat. in edit. maiori.

[12]) cf. de hoc loco cap. II, B, I, 1.

[13]) cf. Casaub. praefat. in edit. Orell. pag. 5; Hercher. pag. X.

usque ad pag. 44 explicuit. Qua de re cum equidem toto genere ab Hugio dissentiam, primum examinandum erit, quantum valeant ea argumenta, quibus ille Casauboni coniecturam firmare studuit, deinde exponamus, quae, quominus pro Arcade Aeneas habeatur, obstent, denique nostram de patria eius suspicionem — nam certi nihil statui potest — profiteamur.

Ac primum quidem Hugius contendit ex singulis narrationibus Aeneae concludendum esse eum in Peloponneso et Peloponnesiis opus suum conscripsisse. Nam XI, 7 eum de seditione Argis facta haec dicere: *μελλόντων τῶν πλουσίων τὴν δευτέραν ἐπίθεσιν ἐπιτίθεσθαι τῷ δήμῳ*, nulla antea mentione facta *τῆς πρώτης ἐπιθέσεως*; ita autem loqui non posse, nisi qui sciat lectores statim cognituros, de qua re verba fiant, Argivum igitur vel finitimum Argivorum. Praeterea accuratam notionem rerum Argivarum Aeneam habuisse inde elucere, quod hoc loco certum quendam magistratum verbis *ὁ τοῦ δήμου προστάτης* designet, cum in aliis narrationibus universe dicat *οἱ τοῦ δήμου προστάται, οἱ ἄρχοντες, συνάρχοντες, ὁ πολίταρχος*. — Sed cum commentarius poliorc. pars videatur esse maioris operis tactici (id quod Hugius quoque iudicat cf. pag. 19), veri est simillimum Aeneam in alia priore quadam parte de prima Argivorum seditione egisse: quin etiam gravissime firmatur haec sententia eo, quod XI, 2 profitetur, se omnia, quae in hoc cap. sequantur exempla, hausisse ex alio suo libello, cuius nomen excidit: *ῥηθήσονται δὲ ἑξῆς αἱ ἐπιβουλαὶ ἐκ τῆς ** βίβλου κ. τ. λ.*: ibi igitur antea, quam hanc narrationem proferret, egerat de priore seditione divitum. Potuit quoque hoc exemplum verbo tenus ex alio scriptore haurire: qui cum illis vocibus *μελλόντων τῶν πλουσίων τὴν δευτέραν ἐπίθεσιν ἐπιτίθεσθαι* usus esset, Aeneas, ut accurate rem exprimeret, neve in errorem perduceret lectores, easdem recepit: saepius vero eum verbo tenus eos, quos ante oculos habebat, auctores expressisse et satis constat et ipse Hugius pag. 9 sq. exposuit. Nec alterum Hugii argumentum satis validum est: cur enim

inde, quod Aeneas Argis unum, alibi plures *δήμου προστάτας* commemorat, concludendum sit eum accuratiorem notionem rerum Argivarum quam aliarum civitatum habuisse, non video. An negare vult Hugius aeque recte scriptorem aliis locis civitatis, de qua agitur, magistratus verbis *ὁ πολίταρχος, οἱ προστάται τοῦ δήμου, οἱ ἄρχοντες* significare atque unum illum Argivorum tribunum plebis vocibus *ὁ τοῦ δήμου προςτάτης*? Num nequit cogitari Argis quidem unum, alibi plures populo praefuisse vel aliter alibi magistratum appellatum esse? Praeterea in hac quoque re est respiciendum potuisse Aeneam, quamvis ipsum rerum Argivarum imperitissimum, illam narrationem verbo tenus alicunde describere, ita ut magistratus titulum ita praeberet, ut is, quem sequebatur, scriptor.

Nihilo maioris momenti alterum est, quod profert exemplum. Cum enim admonuisset Aeneas oppidanos, ut caverent naves appropinquantes portui, in extr. cap. XXIX pergit: *ἐνθυμουμένους ὅτι καὶ Σικυώνιοι ἀμελήσαντες τῶν τοιούτων μεγάλα ἐσφάλησαν.* Ad haec verba Hugius pag. 33 annotat: „der einzige (!) fall in unserem schriftstueck, in welchem ein bei den lesern als schon bekannt vorausgesetztes beispiel bloss zur beilaeufigen motivirung einer vorschrift verwendet wird. Dass sich diese worte nur auf die von dem Thebaner Pammenes im jahre 369 vollzogene einnahme des hafens von Sikyon beziehen koennen, ist oben dargethan worden. War nun unser Aeneas Peloponnesier, war er speciell der Aeneas von Stymphalos, der zwei jahre spaeter selbst Sikyon einnahm und von da ab wohl noch geraume Zeit an der spitze der arkadischen besatzung in Sikyon verweilte, so laesst sich die kuerze des ausdruckes sehr wohl erklaeren. Denn seine ersten leser waren die Sikyonier selbst, die ohne weitere andeutung verstanden, was er meinte etc." — Sed primum quidem levius contendit hoc unum exemplum a scriptore quasi in praetereundo adiectum esse, ut lectoribus notum: nonne prorsus idem bis factum est XXXI, 34? Postquam enim Aeneas ib. 33 de

Astyanacte tyranno suamet ipsius culpa a proditoribus oppresso, cum epistulam, qua proditio denuntiabatur, non statim aperuisset, exposuit, § 34 dicit: *διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν καὶ ἐν Θήβαις ἡ Καδμεία κατελήφθη*, nulla mentione facta a quibus, quo tempore capta esset, nec quis epistulam non aperuisset, et pergit *τῆς τε Λέσβου ἐν Μυτιλήνῃ παραπλήσια τούτοις ἐπράχθη*, quae quo spectent nos quidem ignoramus, Aeneas lectores suos statim perspecturos exspectabat. Quidnam interest inter haec exempla et XXIX, 5 *ἐνθυμουμένους ὅτι καὶ Σικυώνιοι ἀμελήσαντες τῶν τοιούτων μεγάλα ἐσφάλησαν*? Accedit tertium exemplum simillimum XXIV, 18: *ἐχρήσαντο δὲ αὐτῷ* (sc. *τῷ συριγμῷ*) *καὶ οἱ ἐν Θήβαις τὴν Καδμείαν καταλαβόντες. ὅτε γὰρ ἐσκεδάσθησαν νυκτὸς καὶ ἠγνόησαν ἑαυτούς, πρὸς συριγμὸν συνελέγοντο*: quinam sint *οἱ τὴν Καδμείαν καταλαβόντες*, qua occasione haec gesta sint, enarrare scriptor supersedet, sperans lectori satis cognita esse haec omnia. Num ideo Hugius Aeneam pro Thebano aut pro Lesbio putandum censet? Nam utrumque aequo iure aliquis contenderet, quo Hugius Stymphalium esse Aeneam ex XXIX, 5 apparere putat. Contra verisimile est Aeneam, cum iam alibi antea eadem narrasset, noluisse illa repetere, ideoque paucis has res attigisse. Praeterea autem Sicyone quid accidisset in urbe magna et maritima, non solos Peloponnesios, sed alias quoque Graecorum gentes, imprimis maritimas, satis puto cognitum habuisse. Ceterum confidentius iusto Hugius loquitur verba XXIX, 5 debere intellegi de portu Sicyonis a Pammene Thebano occupato, quod etsi fieri potest, tamen pro certo nequit demonstrari. — In iis, quae non exscripsi, Hugius postquam de dissensionibus inter Thebanos et Arcades socios ortis verba fecit, ita pergit: „Wie eine illustration zu diesen misslichen stimmungen klingt die eindringliche warnung des Aeneas, den bundesgenossen nicht zu viel einfluss zu gestatten, 12, 1—3." Sed longius iusto progreditur studio commotus omnia, quantum fieri potest, praecepta Aeneae

ad res Arcadum referendi: an nusquam nisi in Arcadia ex sociis aemuli vel inimici facti sunt?

Quod denique Hugius pag. 35 continentiam quandam Aeneae in eo censet conspici, quod et XVIII, 8—11 urbis nomen non proferat, sed Achaiae tantum, et aliis paucis locis nullo nomine allato res narret, scil. quod aut alios offendere aut suis factis gloriari noluerit, prorsus inanis est et vana suspicio. Nam nullo modo demonstrari potest illud facinus, quod XVIII, 8—11 commemoratur, iis temporibus, quibus Aeneas Stymphalius vixit, commissum esse, minus etiam illum ipsum huic rei interfuisse. Omnino ibi non de urbe hostibus prodenda, sed de mercennariis clam a coniuratis in urbem excipiendis agitur, quod saepius factum videmus ad opprimendos eos cives, qui ab altera parte stabant. Quodsi revera tanti Aeneae intererat, ne nominatim urbe appellata aliquos offenderet, melius profecto illud exemplum omisisset aut terrae quoque nomen tacuisset, quoniam si tum iam vivebant illi, quos offendere nolebat, hi aeque fere aegre ferebant eam narrationem non nominata urbe ac nominata: nam terrae nomine lecto statim omnes, de qua urbe ageretur, videbant. Quomodo vero rectius, quod nomen urbis omiserit, sit explicandum, postea exponemus. — Reliqua quoque illa exempla ita sunt comparata, ut nihil ex illis aut de modestia Aeneae aut de patria possit colligi.

Quae cum ita sint, minime Hugio concedendum censeo nonnulla exempla intellegi non posse nisi Aeneas pro Peloponnesio, pro duce Stymphalio habeatur.

Venio iam ad alteram Hugianae argumentationis partem, qua demonstrare studet nonnulla Aeneae praecepta vix ab alio quam Stymphalio proficisci potuisse, simplicissimis rebus adeo prava interpretatione detortis, ut praecepta, quae omnibus civitatibus apta sunt, secundum solas Arcadum vel Sicyoniorum res data esse videantur. Ita ad verba VIII, 5 *τὰ κατὰ τὴν χώραν στάσιμα ὕδατα ὡς ἄποτα δεῖ ποιεῖν* et XL, 8 *ὡς δεῖ πότιμα ποιεῖν* annotat: „Aufgaben dieser art zu loesen musste einem gebornen Stymphalier besonders nahe

liegen, dessen mitbuergern es schon vor alter zeit gelungen war, die ehemals stagnirenden und giftige duenste verbreitenden gewaesser .. zu fliessenden und trinkbaren zu machen; insbesondere aber hatte ein Stymphalier, dessen vaterstadt eben noch im jahre 369 nach Strabo's bericht von seite des Iphicrates eine schwere belagerung hatte aushalten muessen, bei welcher dieser feldherr die eigenthuemliche beschaffenheit der dortigen gewaesser .., freilich vergeblich, gegen die belagerte stadt hatte ausbeuten wollen, alle veranlassung, die probleme der wasserbauten zum gegenstand seiner studien zu machen." Admirabilis profecto sententia. Quisnam sanae mentis homo ex praeceptis de aquarum condicionibus datis, quae summi momenti et obsessis et obsidentibus cuiuscunque orbis terrarum partis et fuere semper et sunt, unam aliquam certam regionem ut patriam scriptoris erui posse putabit? Quin etiam eo temerius hoc ab Hugio fit, quod qualia praecepta Aeneas de hac re dedisset, nemodum exploravit, sed id tantum scimus eum uberius hanc materiem *ἐν τῇ Παρασκευαστικῇ βίβλῳ* tractasse. Nonne autem vituperandus, nonne levitatis indignae militari scriptore accusandus esset Aeneas, si aquarum condiciones omnino neglexisset? Nec minus inania sunt, quae statim sequuntur apud Hugium: „Hier mochte denn auch unserm autor, der nach 24, 16 die kriegsweise des Iphicrates kannte, eine wenn auch unliebsame gelegenheit, dieselbe in naechster naehe zu studiren, sich dargeboten haben." Quasi Iphicrates, qui disciplina militari longe inter aequales excellebat[14]), adeo ut Iphicratenses milites per totum orbem terrarum in summa laude essent, qui non solum in Europa, sed etiam in Asia exercitibus praefuit, unis Stymphaliis suo cum damno fuisset cognitus! Nonne Aeneas, si ignorasset, quae nova Iphicrates invenisset et instituisset, imperitissimus indignissimusque, qui tacticos libros conscriberet, esset iudicandus?

---

[14]) cf. Cornel. Nep. vit. Iphicr. — Ruestowii et Koechlyi libri, qui inscribitur „Geschichte des griech. kriegswesens" pag. 161—170.

Postquam deinde Hugius exposuit Lycomedem, Arcadum principem, et Aeneam Stymphalium, omnino Arcades illius temporis, populari imperio favisse, pag. 38 sq. comprobare conatur cum hoc totam commentarii poliorc. naturam consentire. *δημοκρατίαν* enim ab Aenea Tactico pro legitima reipublicae forma haberi, cum pauperes fenoribus liberari iubeat aut, si res postulet, parte aeris alieni vel toto (XIV), quod XXXVIII, 4—5 imperatorem iubeat et raro in milites animadvertere et, si necesse sit, in eos potissimum, qui plurimum auctoritate et opibus polleant; tum quod, si de coniurationibus loquatur, soleat eas nominare, quae ab optimatibus factae sint, qui *πλούσιοι* semper vel *πλούσιοι καὶ ὀλιγαρχικοί* apud eum audiant, cum plebem vocibus *δῆμος* vel *πλῆθος*, tribunos plebis verbis *προστάται τοῦ δήμου* designet.

Quae omnia meo iudicio praepostere ab Hugio pronuntiantur. Ut enim exspectamus bonum militarem scriptorem librum suum non ad unius civitatis formam accommodare, sed ita instituere, ut omnes eo suo cum commodo uti possint, ita Aeneas in commentar. poliorc. non eas tantum urbes spectat, quae *δημοκρατίᾳ*, nec eas tantum, quae *ὀλιγαρχίᾳ* utuntur, sed ita agit, ut nulla ratione habita, utrum penes plures et divites, an penes totum populum imperium sit, praecipiat, quae unicuique urbi obsessae ad defendendos hostes apta sint, neque usquam, cui reipublicae formae magis faveat, profiteatur. Ita iubet eos, qui contra praesentem reipublicae statum conspirent, a seditione vel proditione prohiberi; pauperes (*τὸ πλῆθος τῶν πολιτῶν*), ne angustiis oppressi in bello aut seditionem moliantur aut hostibus urbem prodant, quam maxime adiuvari, sed ita ut *ἴσως καὶ ἀλύπως τοῖς πλουσίοις* fiat (XIV); si poena opus sit, non tam humili loco natos (*τοὺς τυχόντας*) quam divites et potentissimos puniri, ne plebes se iniuria affici aliamque in divites, aliam in pauperes disciplinam adhiberi putet. Quae omnia profecto ita sunt comparata, ut aeque in civitate quae ab optimatibus, atque in ea, quae a toto populo administratur, usu venire

possint: nam de belli tantum temporibus agitur, ubi plurimum omnium interest, ne qua dissensio oriatur. Quod vero Aeneas *ἐπανάστασιν* vocat, si divites in urbe, quae *δημοκρατίᾳ* utitur, contra populum seditionem faciunt, num inde colligi potest ipsum populari imperio favisse? Nonne *ἐπανάστασις* fit, ubicunque aliqua civium pars praesentem reipublicae statum vi et armis commutare conatur? Nec semel de popularibus seditionibus loquitur Aeneas: XI, 11 de Partheniorum, qui vocantur, coniuratione Spartae facta; XXXI, 33 de Astyanacte, Lampsaci tyranno, fraude interfecto: in his quoque narrationibus seditio vocatur *ἐπιβουλή*, ita ut appareat has populares seditiones pari loco ab Aenea poni cum iis, ubi optimates populo insidiantur. — Praeterea non intellego unde Hugius (cf. pag. 38) velit concludere XI, 3—6 de Chiorum optimatium seditione agi, ubi profecto ex ipsis verbis apparet de Chio externis hostibus ab archonte prodita (*Χίου γὰρ μελλούσης προδίδοσθαι*) verba fieri. — Nec quod optimates *πλούσιοι*, populus *δῆμος* usitatissimis ad hanc rem vocibus ab Aenea appellantur, quidquam valet ad hanc quaestionem diiudicandam. — Ut vero nihilominus concedamus *δημοκρατικόν* esse Aeneam, num ideo necesse est pro Arcade habeatur? Nonne tam multae civitates hac reipublicae forma utebantur, ut inde prorsus nihil sequi posset de patria Aeneae?

In iis, quae insequuntur, longius procedit Hugius cum dicit: „Friede und eintracht sind offenbar in den augen des verfassers eine ganz ausnahmsweise erscheinung, die regel bilden politische zwietracht, misstrauen, das vorhandensein von *ἐπιβουλεύοντες*. Auf diese verhaeltnisse wird angespielt 1, 6; 3, 3; 10, 11; 20; 25; 26; 11; 14, 1; 17, 1—4; 22, 5; 7; 16; 17; 19; 23, 6; 29, 3." Respiciendum enim est in bellis gerendis et imprimis in defendendis oppidis provido duci non ea tantum spectanda esse, quae fieri solent, sed etiam quae evenire possunt: ac quoniam, praesertim in libera republica, talibus temporibus facile his illisve de causis discordia poterat inter cives, quamvis antea concordes,

oriri, in commentar. poliorc. exponendum erat, quo quaque condicione modo seditionibus optime celerrimeque occurreretur. Ideo et saepius Aeneas ἀντιστασιώτας commemorat, nec ex hac re quidquam de patria eius licet colligi. Quod vero ad exempla ab Hugio allata pertinet, non recte enumeravit X, 11; 25; 26; XXII, 5; 7; 16; 17; 19: nam omnibus his locis non agitur de seditionibus evitandis, sed exponitur, quomodo impediendum sit, quominus singuli — vel cives vel custodes — ab hostibus auro corrumpantur et urbem prodant.

Denique Hugius putat, quod X, 6; 16—17 Aeneas praecipiat eos, qui exsules, praecipue tyrannos exsules, interfecerint, praemiis publice propositis esse afficiendos, explicari non posse nisi si eundem eum esse cum Stymphalio a Lycomede exercitui praefecto statuatur. Nam eo ipso tempore magnam multitudinem Arcadum exsulum cum hostibus adversus patriam profectos esse; porro Lycomedem, qui plurimum inter Arcades valebat et auctoritate et summo civium erga ipsum amore, ab exsulibus esse necatum; Euphronem denique, tyrannum Sicyonium ab Aenea expulsum, magno patriae periculo fuisse, dum Thebis a civibus Sicyoniis occideretur. Qui cum aegre supplicium effugissent, magni Hugius arbitratur Aeneae interfuisse, ut ipsis illius verbis utar: „den rechtssatz zu proclamiren, dass ein solches wagniss von vornherein als eine leistung fuer das vaterland anzusehen sei, und dass im falle des misslingens (ἐάν τι καὶ αὐτὸς πάθῃ) der staat von vornherein die verpflichtung ausspreche, fuer die hinterlassenen des hiebei verunglueckten zu sorgen." — Atque equidem concedo satis bene hanc rem explicari, si Stymphalium nobis fingamus Aeneam, non concedo, nisi hoc statuamus, aeque bene explicari non posse. φυγάδες enim illi, de quibus agitur, ii potissimum sunt, qui aut, cum propter nimiam potentiam in suspicionem venissent, se tyrannidem petere, a civibus suis expulsi sunt, aut seditione facta ab adversariis superati fugam morti praetulerunt: tales vero nonne per se patet in unaquaque terra etiam extra Peloponnesum id ante omnia cupere, ut reversi in patriam et pri-

stinam recuperarent potentiam et ulciscerentur inimicos? Quo studio facillime impellebantur, ut patriae hostibus se adiungerent, periculosiores fere patriae quam ipsi hostes: cum enim omnia penitus cognita haberent, et terrae urbisque loca et condiciones, et quibus copiis valeret, quibus rebus egeret civitas, efficere poterant, ut ita hostes bellum obsessionemve instituerent, ut diu resistere patria non posset. Tyranni vero exsules quanto magis etiam erant metuendi, quippe qui reversi omnia caede adversariorum essent repleturi, saevius etiam quam antea, simulque firmioribus nixi praesidiis, regnaturi! Nec neglegendum est ad bella tantum vel obsessionem imminentem Aeneae praeceptum spectare; de pace omnino in toto commentar. poliorc. sermo non est. Quae cum ita sint, minime meo iudicio mirum videri potest Aeneam interficiendos exsules, imprimis tyrannos vel duces, praemiisque afficiendos, qui caedem perpetrarint, praescribere, nisi mortuos inimicos non desinere periculosos esse ratum. An neget Hugius alios quoque praeter Arcades vel Sicyonios, quantopere metuendum esset expulsorum odium, sua cum calamitate expertos esse? Nonne e. gr. venit ei in mentem, quanto damno Alcibiades ab Atheniensibus expulsus patriam affecerit, quanto Romam Coriolanus? Omnino autem non recte ita argumentatur Hugius, quasi unis Sicyoniis vel Stymphaliis libellos suos composuerit Aeneas.

Postremo neque illud satis valere ad firmandam Casauboni de patria Aeneae suspicionem, quod Hugio nomen Aeneae in Peloponnesi parte media et septentrionali non admodum rarum fuisse videtur (nonnulla exempla affert), quamquam in inscriptionibus illarum regionum hucusque non repertum est, eo facilius unusquisque intelleget, quoniam nomen alibi, in Attica, Asia minore etc., ubi primus quoque, quem novimus Aeneas fertur fuisse, in ipsis inscriptionibus repertum est: cf. pag. 43 diss. Hug.

Vides igitur nullum ex omnibus Hugii argumentis ita esse comparatum, ut cogamur confiteri recte ab eo eundem

esse Tacticum atque Stymphalium illum Aeneam iudicari. Iam cur hoc statui nequeat, exponamus.

Ac primum quidem ipse ille locus, unde Casaubonus profectus est, gravissime mihi videtur huic sententiae repugnare XXVII, 1: τοὺς δὲ περὶ πόλιν ἢ στρατόπεδον ἐξαίφνης θορύβους καὶ φόβους γενομένους νυκτὸς ἢ μεθ' ἡμέραν, ἅπερ ὑπό τινων καλεῖται πάνεια (ἔστι δὲ τὸ ὄνομα Πελοποννήσιον καὶ μάλιστα Ἀρκαδικόν) ταῦτ' οὖν τινες κελεύουσι καταπαύειν θέλοντες αὐτά. Voces ταῦτ' οὖν non recte se habere propter sequens αὐτά cum intellexisset Hercherus, illorum loco scripsit τοιόνδε. Sauppius θέλοντες optimo iure in θέλοντας correxit, retentis autem verbis ταῦτ' οὖν et lacuna in fine enuntiati statuta scripsit τοιάδε ποιεῖν: sed lenior Hercheri medela Sauppianae praeferenda videtur, cum neque hac anacoluthia tollatur, quae ferri potest in Aenea, quippe qui saepius ab incepta structura deflexerit[15]). — Sed missis illis aggrediamur ad verba ἔστι δὲ τὸ ὄνομα Πελοποννήσιον καὶ μάλιστα Ἀρκαδικόν, quae mea sententia dubitari non licet fere, quin a lectore nescio quo grammatico in margine adscripta, dein a librario per errorem textui inserta sint. Docent enim vocabula ἅπερ ὑπό τινων καλεῖται πάνεια Aeneam aut ignorasse omnino vocis πάνειον patriam aut noluisse indicare: nec profecto talia quaerere eius intererat, qui numquam tali modo verba a se usitata interpretatus est. Satis habebat vocem a quibusdam — forsitan in militari sermone non raro — usurpatam commemorasse. Contra grammaticum consentaneum erat Aeneae verbis ἅπερ ὑπό τινων καλεῖται πάνεια, ut vocis, quae apud alios scriptores obvia non est, originem explicaret, adscripsisse Peloponnesiam maximeque Arcadicam eam esse. Fuisse autem qui tali doctrina Aeneae amplificando operam darent, Hercherus sat multis locis edocuit. Sed quamvis verba ἔστι δὲ — Ἀρκαδικόν e textu removenda censeam, minime tamen falsa esse addita ab interpolatore dixerim. Nam cum Pan, qui terrores

[15]) cf. C, I, 10.

subitos inanesque excitare credebatur[16]), praecipue ab Arcadibus cultus sit, non est cur annotationis auctori diffidamus. Ut vero Aeneas, militaris vir, audiret vocem, cum mercenarii Arcadici longe lateque vagarentur, facile poterat accidere, etsi nobis fingimus, eam peculiarem Arcadici sermonis fuisse.

Largiamur vero, ipsius Aeneae esse additamentum illud: quod si ita se haberet, certe unumquemque offenderet, quod Arcas Aeneas de voce patrii sermonis propria diceret *ἅπερ καλεῖται ὑπό τινων πάνεια,* certe unusquisque Persam potius quam Arcadem Aeneam esse iudicaret. Quodsi quis nihilominus Arcadiam patriam mordicus retinere volet, saltem illa *ὑπό τινων*, quamquam per se omni suspicione libera, delere debebit.

Sed accedunt alia. Nam primum quidem, ut supra iam dictum est, Aeneas cum sat multis locis eius partis libelli sui, quae ad nos pervenit, rerum navalium rationem habet: IV, 5; VIII, 2; X, 8; 12; XVI, 13; XVII, 1; XXIII, 6; XXVIII, 4; XXIX, 12, tum altera parte, quae deleta est, (post XL, 8) de classe instruenda, omnino de oppido adversus maritimam oppugnationem defendendo egerat, unde apparet et ipsum Aeneam belli maritimi fuisse peritum, nec totum eius libellum tam mediterraneum quam maritimum oppidum defendendum spectare. Num autem veri videtur similius esse, Arcadem, hominem mediterraneum, maritimae urbis defendendae rationes exposuisse an mediterraneae?

Deinde quam acerrime impugnari poterit Casauboni Hugiique sententia, si exempla, quibus saepissime ad illustranda praecepta Aeneas usus est, perlustraverimus. Quo facilius autem singula perspiciantur exemplorum multitudinem in tres partes distribuamus.

I. Primum ea enumeremus, ubi Aeneas narrat, quid in ipsa Graecia — excepta Peloponneso — insulisque, quae prope sitae sunt, acciderit. Nominantur:

---

16) cf. Polyaeni fabulosam narrationem in *Στρατηγικῶν* libr. I, 2. — Pausan. X, 23, 7.

1) Plataeenses II, 3—6. — 2) Chalcis in Euboea sita IV, 1—4. — 3) Pisistratus Atheniensis ib. 8—11. — 4) Dionysius Syracusanus X, 21—22 et 5) XL, 2—3. — 6) Corcyra XI, 13—15. — 7) Triballi et Abderitae XV, 8—9. — 8) Aegina XX, 5. — 9) Thebae XXIV, 18; et 10) XXXI, 34. — 11) Euphratas[17]) Lacedaemoniorum in Thracia praefectus XXVII, 7—9. — 12) Potidaea XXXI, 25—27. — 13) Epirus et 14) Thessalia ib. 32.

II. Ad Asiam, propinquas Asiae insulas, Africam pertinent:

1) Leucon, Bospori tyrannus V, 2. — 2) et 3) Chios XI, 3—6; XVII, 5. — 4) et 5) Heraclea Pontica XI, 10; XII, 5. — 6) Calchedon XII, 3. — 7) Cyrenae XVI, 14. — 8) Barce ib. et XXXVII, 6. — 9) Teos Ionica XVIII, 13—19. — 10) Apollonia Pontica XX, 4. — 11) Ilion a Charidemo Orita captum XXIV, 3—14. — 12) Clazomenae XXVIII, 5. — 13) Parion Hellesponticum ib. 6—7. — 14) Ephesos XXXI, 6. — 15) Histiaeus et Aristagoras ib. 28—29. — 16) Astyanax, Lampsaci tyrannus ib. 33. — 17) Mytilene ib. 34. — 18) Glus, Persarum classi praefectus ib. 35. — 19) Sinope XL, 4.

Eodem referenda videntur exempla: 20) Nicocles praefectus XXII, 20. — 21) Iphicrates XXIV, 16. — 22) XXVII, 11.

III. Ex Peloponneso nominantur solae urbes:

Lacedaemon II, 2; XI, 12. — Argos XI, 7—9; XVII, 2—4. Achaiae vel finitimum Achaiae oppidum XVIII, 8—11. Sicyon XXIX, 12.

Ea exempla, ubi nec terrae nec urbis nec hominum nomina allata sunt, nullius momenti sunt ad quaestionem de patria Aeneae diiudicandam.

Inter tot igitur exempla nullam[18]) Arcadiae, quattuor

---

[17]) Vel. *Εὐδαμίδας*, quod Arn. Schaeferus in Philol. tom. XXXI, pag. 185 secundum Xenoph. Hellen. V, 2, 24 coniecit.

[18]) Casaubonus XVIII, 8, ubi tradita sunt haec: *περὶ Ἀχαίαν δὲ ἐν πόλει ἐπιχειροῦντες κρυφαίως δέξασθαι ξένους κ. τ. λ.* cum urbis

reliquae Peloponnesi urbes Aeneas attulit, quod ipsum sufficit, ut confidenter negemus Peloponnesium Arcademve esse Aeneam. Num enim potest cogitari eius gentis popularem, nedum imperatorem, qui non solum interfuerit acerrimis illis bellis inter Thebanos et Spartanos in Peloponneso gestis, sed ipse magno exercitui praefuerit, unius (vel duorum, si recte Hugius statuat de XXIX, 12) ex plurimis maximeque variis illius belli casibus in tali opere mentionem facturum fuisse (II, 2)? Curnam „Stymphalius" ille nusquam rerum Arcadicarum, nusquam rerum a civibus suis praeclare et fortiter gestarum fecit mentionem? Cur amicus Lycomedis, dux ab eo creatus, nusquam praeclara illius facinora, nusquam prudentiam laudavit? E contrario Euphronis tyranni memoriam cur nullo loco est detestatus? An ne quem offenderet? Praeterea cur nusquam eas res, quae ab Atheniensibus et Lacedaemoniis haud ita multo ante bello Peloponnesiaco in illis regionibus gestae sunt, ne uno quidem verbo commemoravit? Profecto de his omnibus cur tacuerit, nullo modo potest explicari: quo magis etiam miror eundem Hugium, qui pag. 28 dixerit: . . „Noch mehr aber spricht gegen Athen als heimath unseres schriftstellers der umstand, dass unter den vielen historischen beispielen Athen nur einmal repraesentirt ist . . . Dieser umstand ist gegenueber den zum theil wiederholten erwaehnungen viel unbedeutenderer staedte von

---

nomen desideraret, idem hic respici ratus, quod Polyaen. l. l. II, 36 de Heraea a Dioeta capta tradidit, post πόλει vocem inseri iussit Ἡραιέων, quod leviter etiam a novissimis editoribus receptum est. Neglexerunt enim, id quod Koechlyus pag. 167 edit. exposuit, Dioetam circa annum 236. ante Chr. n. Achaici foederis tempore vixisse. Praeterea Polyaenus narrat clavem (luto vel cera) expressam esse, Aeneas proditores filo in claustrum immisso laqueoque facto protractum pessulum emensos esse. Equidem omnino post πόλει vocem nihil excidisse credo, cum Aeneas etiam XVIII, 20; XXIX, 3 ita exempla afferat, ut simpliciter dicat προεδόθη πόλις et κατελήφθη πόλις nomine non addito. Nimirum XVIII, 8 urbis nomen ideo non adiecit, quod Peloponnesi praecipueque mediterraneae partis regiones parum cognitas habuit, sed celeberrimas tantum urbes: audiverat quondam nomen, sed antea ignotum brevi oblitus erat.

entscheidendem gewicht" et infra: „Ausser Athen fallen nun auch sofort Italien und Sicilien beim ersten blicke ausser betracht. Repraesentirt sind diese westlichen gegenden bloss durch eine zweimalige erwaehnung des Dionysios von Syracus ..", nihilominus confidenter contendere Arcadiam, unde ne unum quidem exemplum petitum est, pro patria Aeneae esse habendam. Relinquamus igitur Hugio Stymphalium scriptorem, nos retineamus Tacticum Aeneam, ipsum, quam longe patria sua a Peloponneso remota sit, testantem XXVII, 1 cum Peloponnesiam praecipueque Arcadicam vocem ita commemoret, ut dicat *καλεῖται ὑπό τινων*, et XVIII, 8 ubi de Achaiae vel finitimo Achaiae oppido agit (*περὶ Ἀχαίαν δὲ ἐν πόλει*), cuius nomen memoria non retinuit.

Quae cum ita sint, equidem Sauppio qui l. l. pag. 730 oram Ponti Euxini patriam Aeneae esse iudicat, ita adstipulor, ut non tam angustis finibus constitutis Asiae minoris oram maritimam suspicer pro patria Aeneae esse habendam vel insulam aliquam prope sitam. Nam maritimam urbem in conscribendo libello Aeneas spectavit; plus dimidium omnium, quae attulit, exemplorum ex Asia minore finitimisque regionibus petitum est; accuratissimae longissimaeque sunt eae narrationes ubi de Chio XI, 3—6; Teo XVIII, 13—19; Ilio XXIV, 3—14 verba facit; novit, quomodo Chii Dionysia celebrent et pompam sollemnem ad aram Dionysi deducant: cf. XVII, 5 *Χῖοι δὲ ἄγοντες τὰ Διονύσια καὶ πέμποντες πομπὰς λαμπρὰς πρὸς τοῦ Διονύσου τὸν βωμὸν, προκαταλαμβάνουσι τὰς εἰς τὴν ἀγορὰν φερούσας ὁδοὺς φυλακαῖς καὶ δυνάμεσι πολλαῖς*, qui locus ita est comparatus, ut videatur scriptor eam notitiam *αὐτοψίᾳ* sibi peperisse; porro quomodo portae Apolloniae claudantur, probe scit: cf. XX, 4; denique in illis regionibus vetustissimum[19]) additamentum natum est XXXI, 24: neque enim apparet, cur alius terrae incola hoc potissimum exemplum satis sin-

[19]) cf. pag. 7 et cap. II; A, I fin.

gulare delegerit, ut ederet *μαρτύριον ὅτι τὰ εἰςπεμπόμενα μετὰ ἐπιβουλῆς χαλεπὸν φυλάξαι*: ibi igitur primum lectus est commentar. poliorc. Quodsi quis illam § non putaret pro emblemate esse habendam, graviore etiam ipsius Aeneae testimonio nostra de patria eius sententia firmaretur. — Quod vero Heraclea XI, 10; XII, 5 et Apollonia XX, 4 appellatur ἡ ἐν τῷ Πόντῳ, id nihil demonstrat, nisi accuratum scriptorem esse Aeneam, qui nolit lectores dubitare, quam Heracleam, quam Apolloniam designet.

C. De sermone Aeneae.[20])

Vix quisquam praeter nostrum invenietur scriptor, de cuius genere dicendi magis viri docti inter se dissenserint: nam gravissime Reiskius, postquam degustavit Aeneam, reiecto indignabundus libello, vituperat eum ut inficetum, soloecum scriptorem, qui animi sensa non proloqui noverit, sed obscure indicet, veluti aenigmata proponeret et graece loqui nescisset; nec multo lenius Orellius existimat Aeneam Tacticum adeo de verborum dilectu, tersi politique sermonis elegantia et orationis colore parum sollicitum et ab hac quidem parte minime comparandum esse cum illis, qui hisce virtutibus splendescentes inter auctores classicos censeantur. Similiter Turicenses[21]) iudicant. Quae omnia durius quam verius statuta esse Hercherus, de cuius morte nuper tristissimum nuntium accepimus, optime omnium post Casaubonum de Aenea meritus, cum intellexisset, petulantiae et stupiditati librariorum, interpolatorum garrulorum licentiae, non Aeneae ipsi, ea esse attribuenda demonstravit, quae genuinum eius sermonem, qui idem fere esset atque aequalium scriptorum, velut Xenophontis, purus igitur et candidus, temperatus et aequabilis, deformavissent.

---

[20]) cf. praef. Orell., Turicensium, Herch., Reiskii verba in ed. Herch. pag. 128; Sauppium l. l. pag. 730 et 731.

[21]) Quomodo plerumque Herm. Koechlyi et Guil. Ruestowii editio citatur.

Ac recte quidem ita Hercherus. Per se autem elucet, Aeneam non splendida rhetoricisque artibus exornata oratione uti potuisse, quoniam ipsa materia, quam tractandam susceperat, ieiunum dicendi genus exposcebat. Nec vero videtur rhetoricae disciplinae expers fuisse, cum aridissimam rem satis culto simulque simplici sermone tractaverit. Ornamentorum rhetoricorum contemptor, rebus ipsis exponendis magis quam artificiosae orationi componendae deditus, semper id agit Aeneas, ut breviter simul et clare, quid sentiat, proferat: certe sententias supervacaneas, meras rhetoricas ambages vix quisquam in eo deprehendet. Immo nonnumquam omisit Aeneas, quae ad intellegenda verba necessaria non putabat, ita ut mente aliquid interpretibus addendum esset: sic XL, 6, ubi haec exstant: *Ἐὰν δὲ θέλῃς τοὺς ἐπὶ τῷ τείχει περιόδους πλείους φαίνεσθαι, χρὴ περιέναι ἐπὶ δύο, ἔχοντας τὰ δόρατα τὸν μὲν ἕνα στίχον ἐπὶ τῷ ἀριστερῷ ὤμῳ, τὸν δὲ ἕτερον ἐπὶ τῷ δεξιῷ· καὶ οὕτω φανοῦνται εἰς τέσσαρας* postremis verbis exprimere vult, singulos binorum hominum ordines quattuor hominum speciem praebere, non ambos ordines.

Sed convertamur iam ad singula, quoniam si de cuius scriptoris sermone agendum est, certior eius imago redditur singulis rebus accurate perlustratis, quam generali contemplatione, quae altius non penetrat. Ac primum quidem videamus

I. Quomodo Thucydidem Aeneas imitatus sit.

Eruditum fuisse Aeneam nec stili neglegentem eo iam ostenditur, quod multa ei cum Thucydide communia sunt, quorum magnam profecto partem consulto ex illo petivit; nec vero totam orationem ad Thucydidei stili similitudinem ab Aenea comparatam esse, ipsa sermonis natura demonstratur et per se parum credibile est. Nam in Thucydide quidem, qui, cum opus suum de summis rebus conscriptum *κτῆμα ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν* esse vellet (I, 22 fin.), austero, gravi, sublimi dicendi

genere, ut orationem naturae operis accommodaret, usus est[22]), suo iure Dionysius Halicarnassensis admiratur τήν τε μεγαληγορίαν τοῦ ἀνδρὸς καὶ τὴν καλλιλογίαν καὶ τὴν δεινότητα[23]): Aeneam autem, cuius operis longe alia est et natura et materies, omnes profecto riderent magniloquentem aut alius austeritatem vel sublimitatem imitantem. Quamobrem Meinekio assentiri non possum, qui Aeneam totum se ad Thucydidis imitationem conformasse et in minutiis quoque eum expressisse contendit[24]), quod si revera factum esset, ineptus et stultus homo Aeneas esset putandus, qui quale cuique rei dicendi genus conveniret, ignoravisset. Recte ita me existimare ut appareat, contemplemur iam, quae Thucydidi et Aeneae communia sint.

1) Thucydidem constat saepe ubertate quadam orationis et verbositate usum esse, quae poeticum sermonem redoleat: talia apud Aeneam quoque minime raro obvia sunt, adhibita procul dubio ab eo, quo magis singula et premantur et perspiciantur. Huc pertinet:

a) quod eadem notio duabus locutionibus, quarum utraque idem significat, exprimitur nonnumquam. Cf. prooem. 2: *σωθεῖσι καὶ καλῶς ἀμυναμένοις*. ib. *φοβεροὺς τοῖς ἐναντίοις καὶ δυςεπιθέτους*. 4. *πάλιν ἀνέλαβον ἑαυτούς*. I, 8 *ἡλικίᾳ καὶ νεότητι* (quod iniuria Hertlinus delendum putat). III, 2 *ἔπειτα οὕτω*. idem IV, 1, si recte coniecit Hercherus, et XXXI, 21. IV, 7 *ἐπὶ παραδείγματος καὶ μαρτυρίου καθαροῦ*. VI, 2 *τὰς τῶν πολεμίων ἐργασίας καὶ πράξεις*. VIII, 2 *πρὸς τὰς ἀποβάσεις τῶν πολεμίων — ὅσα καὶ οἷα χρὴ κατασκευάζεσθαι — τοῖς ἀποβαίνουσιν*. XII, 2 *πλήθει καὶ δυνάμει*. XV, 2 *σποράδην καὶ κατ' ὀλίγους ἐξιόντες*. XVI, 4 *μετὰ συνέσεως καὶ ἐπιστήμης*. 12 *φθάσαι πρότερον ἀφικόμενον*. XVII, 1 *προνοοῦντα εὐλαβεῖσθαι*. XXII, 15

---

22) cf. Dionys. Hal. de Thuc. hist. iudic. XXIV. pag. 866 et 867 ed. Reisk.

23) cf. ibidem XXVII, pag. 881 ed. Reisk.

24) In Hermae vol. II, pag. 190.

εὐπρόσοδα καὶ εὐεπίθετα. ib. *ἐντιμοτάτους τε καὶ τῶν μεγίστων μετέχοντας ἐν τῇ πόλει.* 24 *ἴσως καὶ κοινῶς.* XXIII, 3 *ἐποίησαν — τεχνάσαντες.* XXVI, 12 *ἐπαγγελλομένων τινῶν καὶ κελευόντων.* XXXVIII, 2 *τοῦ ὑπάρχοντος καὶ παρόντος ἤδη.* 5 *ἀμελοῦντας καὶ ἀκοσμοῦντας.* Quibuscum cf. e. gr. Thuc. II, 9 *ἔπειτα ὕστερον.* idem V, 61. — IV, 75 *ἀναλαμβάνειν πάλιν.* V, 47 *τρόπῳ ὁποίῳ ἂν δύνωνται ἰσχυροτάτῳ κατὰ τὸ δυνατόν.* VII, 25 fin. *ἢν φθάσωσιν — πρότερον διαφθείραντες* al.[25])

b) et affirmando et negando eadem sententia profertur: cf. V, 1: *πυλωροὺς καθιστάναι — φρονίμους καὶ ἀγχίνους καὶ μὴ ὑπονοεῖν μὴ δυναμένους ἀεί τι τῶν εἰςκομιζομένων*[26]) ib. *εὐπόρους καὶ οἷς ἐνέχυρα ἐν τῇ πόλει ὑπάρχει, ἀλλὰ μὴ οἵτινες δι' ἔνδειαν — πεισθεῖεν ἂν ὑπό τινων.* XV, 4 *ἵνα ῥᾳδίως ὑπάρχῃ συμμίσγειν ἀλλήλοις καὶ μὴ δρόμῳ πόῤῥωθεν παραγίγνωνται*[27]). ib. 5 *ἵν' ὡς ἐκ πλείστου προειδῶσιν οἱ ὁπλῖται τὰ τῶν πολεμίων καὶ μηδὲν ἐξαίφνης αὐτοῖς προςπέσῃ.* XVI, 16 *ἐὰν ᾖ ἡ χώρα μὴ εὐείςβολος, ἀλλ' ὀλίγαι ὦσιν αἱ εἰςβολαὶ καὶ στεναί.* ib. 17 *ἂν δὲ μὴ δυςείςβολος ᾖ ἡ χώρα, ᾖ δὲ πολλαχῇ πολλοὺς εἰςβάλλειν.* XVII, 1 *ἐν μὴ ὁμονοούσῃ πόλει καὶ ὑπόπτως πρὸς ἀλλήλους ἐχόντων.* XX, 1 *χρὴ τὸν στρατηγὸν δι' αὐτοῦ τὴν κλεῖσιν ποιεῖσθαι μηδὲ ἄλλῳ πιστεύειν.* XXII, 21 *ἐν ὁμονοοῦσι δὲ καὶ μηδενὸς ὑπόπτου ὄντος.* XXIX, 2 *εὐλαβεῖσθαι καὶ μὴ ἀφροντίστως ἔχειν.* Similiter Thuc. VII, 44 *μέγιστον καὶ οὐχ ἥκιστα ἔβλαψε.* 47 *ἀπιέναι ἐψηφίζετο καὶ μὴ διατρίβειν.* 85 *πλεῖστος φόβος οὗτος καὶ οὐδενὸς ἐλάσσων* et saepissime.

2) Cum studio quodam maioris gravitatis et perspicuitatis Thucydides substantiva a verbis usitatis derivata cum verbis quibusdam coniungit pro structuris simplici verbo formatis (*τὰ ῥηματικὰ μόρια τῆς*

---

[25]) cf. Dionys. Halic. epist. II ad Ammaeum de iis, quae Thuc. propria sunt, IV, pag. 794.

[26]) cf. cap. II, A, I.

[27]) cf. cap. II, B, II.

λέξεως ὀνομαστικῶς σχηματίζει[28]). Variatam reddunt tales locutiones orationem et cum poetico quodam colore dictae videntur: pertinentque ad *τὸ πολυειδὲς τῶν σχηματισμῶν* illud, quod in Thucydide praecipue observavit Dionysius Halicarnassensis[29]). Saepissime omnium ita apud Thucydidem usurpata occurrunt substantiva verbalia in *-σις* vel *-της* formata, quorum prius genus apud Aeneam quoque praevalet, qui certe ea de causa hunc usum imitatur, quo magis perspicua verba sua reddantur. Huc ex Aenea spectant: III, 3 *ἄνδρας οἳ κωλυταὶ ἔσονται* pro = *κωλύσουσιν*. II, 4 *ὁμολογίας ἐποιοῦντο τοῖς Θηβαίοις*. VI, 2 *ἀγνοοῦντες τὰς τῶν πολεμίων ἐργασίας καὶ πράξεις, εἴτε ἐκ παρασκευῆς πράσσονται εἴτε καὶ ἀπὸ ταὐτομάτου*. VII, 4 *ὅθεν δεῖ τὴν μάθησιν λαμβάνειν* = *μανθάνειν*. VIII, 2 *οἷα χρὴ παρασκευάζεσθαι δολώματα*. X, 3 *κηρύγματα ποιεῖσθαι τοιάδε*. ib. 20: *τῶν ἄλλων πράξεων* (sic Meinckius; Med. cod. *τάξεων*) *ἐπιμέλειαν ποιητέον*. 21 *γνοὺς ὅτι περὶ αὐτὸν πολλὴ μετ' εὐνοίας ἰσχὺς ἔσοιτο* prorsus singulariter dictum pro *ὅτι μέγιστον δυνήσοιτο βοηθούντων αὐτῷ τῶν εὐνῶν*. XI, 13 *ἐπανάστασιν δέον γενέσθαι τῷ δήμῳ*. ib. 14 *τομὰς ἐν τῷ σώματι ποιησάμενοι*. ib. *πληγὰς ἔχοντες* = *πληγέντες*. XIII, 4 *κομιδὴ γενέσθω*. XV, 8 *παράταξιν ποιησάμενοι*. XVI, 11 *τὴν δίωξιν ποιεῖσθαι*. idem 13. — 12 *τὴν ἐπίθεσιν ποιεῖσθαι*. XX, 1 *τὴν κλεῖσιν ποιεῖσθαι*. XXII, 20 *περιοδείας ἐποιεῖτο*. XXIII, 1 *ἐπεξόδους ποιούμενοι*. XXIV, 10 *προνοήσας ὅτι παρέσοιτο βοήθεια ἐπὶ τὸ χωρίον*. XXVI, 8 *πρὸς θεραπείαν τε καὶ ἀνάληψιν αὐτῶν τραπέσθαι*. XXXI, 1 *ἐπιστολῶν παντοῖαι μέν εἰσι πέμψεις, αἱ δὲ λανθάνουσαι μάλιστα τοιαίδε ἂν εἶεν*. ib. 3 *τὴν ἐπισημασίαν εἶναι ὡς ἀδηλοτάτην*. 5 *χρὴ τὰς ῥαφὰς ὡς ἀδηλοτάτας ποιεῖν*. 8 *ἐάν τις ἐπιφάνεια τῶν πολεμίων γένηται*. 19 *ἀνάπαλιν γί-*

---

28) Dionys. Hal. de iis, quae Thuc. propria sunt, V pag. 795.

29) Idem ibid. II pag. 793 et de Thuc. hist. iud. pag. 869 c. XXIV dicit: *ἵνα δὲ συνελὼν εἴπω, τέσσαρα μέν ἐστιν ὥςπερ ὄργανα τῆς Θουκυδίδου λέξεως, τὸ ποιητικὸν τῶν ὀνομάτων, τὸ πολυειδὲς τῶν σχημάτων, τὸ τραχὺ τῆς ἁρμονίας, τὸ τάχος τῆς σημασίας.*

γνεται ἡ ἐξαίρεσις τῇ ἐνέρσει. XXXVII, 8 *τόδ' ἂν γένοιτο ἰσχυρότατον φράγμα.*

Ex Thucyd. afferam haecce: I, 51 *ἡ ἀπαλλαγὴ ἐγένετο ἀλλήλων.* 61 *ξύμβασιν ποιησάμενοι.* 68 *τὴν μάθησιν ἐποιεῖσθε.* 70 *τὴν ἐπιχείρησιν ποιεῖσθαι.* 96 *αἱ ξύνοδοι ἐς τὸ ἱερὸν ἐγίγνοντο.* II, 84 *τὴν ἐπιχείρησιν ἐφ' ἑαυτῷ τε ἐνόμιζεν εἶναι — καὶ καλλίστην γίγνεσθαι.* 88 *παραίνεσιν ποιήσασθαι.* III, 23 *κωλυτὴς γίγνοιτο.* idem VIII, 86. — III, 23 fin. *ἐγένετο ἡ διάφευξις αὐτοῖς.* 38 *οἵτινες εἰώθατε θεαταὶ μὲν τῶν λόγων γίγνεσθαι, ἀκροαταὶ δὲ τῶν ἔργων.* 53 *τὴν παράδοσιν τῆς πόλεως ἐποιησάμεθα.* 54 *ὑπόμνησιν ποιησόμεθα.* V, 8 *ἐπέξοδον καὶ ἀντίταξιν οὐκ ἐποιήσατο πρὸς τοὺς Ἀθηναίους.* VII, 56 *περὶ τοῦ αὐτοὶ σωθῆναι — τὴν ἐπιμέλειαν ἐποιοῦντο.* 75 *ἡ ἀνάστασις τοῦ στρατεύματος ἐγίγνετο.* VIII, 21 *ἐγένετο ἡ ἐν Σάμῳ ἐπανάστασις τοῦ δήμου τοῖς δυνατοῖς.* 86 *ἡ μετάστασις γίγνοιτο*; et sexcenties similiter.

3) In quibus cum praeter perspicuitatem et granditatem Thucydides varietatem quoque orationi inferre studeat, simile variandi studium in eo quoque deprehenditur, quod saepe tempora verbi, quae vocantur, inter se commutat, nullo tamen notionis discrimine[30]). Eadem nonnumquam apud Aeneam inveniuntur. Quod sane uterque eo consilio facit, ut languida oratio evitetur, maiorque in ea insit vigor et alacritas.

Ita tempora apud Aeneam mutantur: I, 4 *πρῶτον — ἀπονεῖμαι δεῖ τοὺς φρονιμωτάτους — ἔπειτα ἀπολέγειν σώματα τὰ δυνησόμενα μάλιστα πονεῖν καὶ μερίσαντα λοχίσαι.* II, 3—7 *Πλαταιεῖς — ἐπεὶ ᾔσθοντο νυκτὸς ἐν τῇ πόλει Θηβαίους ὄντας — ἐνόμισαν — ῥᾳδίως κρατήσειν. τεχνάζουσιν οὖν — τοιόνδε. — οἱ μὲν ὁμολογίας ἐποιοῦντο τοῖς Θηβαίοις — οἱ δὲ παρήγγελον κρύφα τοῖς ἄλλοις πολίταις σποράδην — μὴ ἐξιέναι — ἑτοιμασθέντος δὲ πλήθους — τὰς ῥύμας ἐτύφλωσαν — ἀπὸ δὲ σημείου — ἐφέροντο ἐπὶ τοὺς Θηβαίους κ. τ. λ.* IV, 3 *ἐσημάνθη τὸ πολεμικὸν — πολλοὶ δὲ — ἐτίθεντο τὰ ὅπλα παρὰ*

---

30) Cf. Dion. Hal. de iis, quae Thuc. propria sint, XII, pag. 801.

τοὺς πολεμίους — οἱ πλεῖστοι ἀπώλλυντο, μέχρι — ἔγνωσαν τὸ συμβαῖνον. ib. 10 *ἔλαβε τῶν γυναικῶν τὰς ἐπιτηδειοτάτας συμπλεῦσαι, καὶ κατήγετο εἰς τὰ Μέγαρα — κατιδόντες — ἀπήντων πολλοὶ τῶν Μεγαρέων.* X, 21—22 *φανερῶς μὲν οὐκ ἐπεχείρει ἐκβάλλειν αὐτὸν — τεχνάζει δὲ τοιόνδε, πέμπει αὐτὸν — εἰς πόλιν ὄνομα Ἱμέραν — γενομένου δὲ αὐτοῦ ἐν Ἱμέρᾳ πέμψας ἐκέλευσεν αὐτὸν περιμένειν.* XV, 8—9 *Τριβαλλῶν ἐμβαλόντων — Ἀβδηρῖται κάλλιστον ἔργον εἰργάσαντο· συμβαλόντες γὰρ κατέβαλον πολλοὺς καὶ ἐνίκων πλῆθος πολὺ καὶ μάχιμον. οἱ δὲ Τριβαλλοὶ — πάλιν ἀφικόμενοι εἰς τὴν χώραν — ἔκειρον τὴν χώραν — οἱ δὲ Ἀβδηρῖται — ἐπεβοήθουν πασσυδὶ, οἱ δὲ ὑπῆγον αὐτοὺς εἰς τὰς ἐνέδρας — οὐδὲ γὰρ οἱ ἄλλοι ἐπέσχον τῆς βοηθείας, ἀλλ' ἄλλος ἄλλον παρακαλῶν ἔσπευδε βοηθεῖν — μέχρι ἠρημώθη ἡ πόλις ἀνδρῶν.* — XXXI, 27 *ἐγένετο καταφανὴς ὁ Τιμόξενος προδιδοὺς τὴν Ποτίδαιαν· τοξεύων γὰρ ὁ Ἀρτάβαζος — ἁμαρτὼν τοῦ χωρίου βάλλει ἀνδρὸς Ποτιδαιάτου τὸν ὦμον, τὸν δὲ βληθέντα περιέδραμεν ὄχλος — αὐτίκα — τὸ τόξευμα λαβόντες ἔφερον ἐπὶ τοὺς στρατηγοὺς καὶ οὕτως καταφανὴς ἐγένετο ἡ πρᾶξις.*

Quibuscum comparari possunt loci Thucydidei: I, 26 *Οἱ Κορίνθιοι ἔπεμπον ἐς τὴν Ἐπίδαμνον — ἐπορεύθησαν δὲ — ἐς Ἀπολλωνίαν.* ib. *Κερκυραῖοι τοὺς φεύγοντας ἐκέλευον δέχεσθαι — οἱ δὲ Επιδάμνιοι οὐδὲν αὐτῶν ὑπήκουσαν. ἀλλὰ στρατεύουσιν ἐπ' αὐτοὺς οἱ Κερκυραῖοι — προςκαθεζόμενοι δὲ προεῖπον.* 27 *Κορίνθιοι — παρεσκευάζοντο στρατιὰν, καὶ ἅμα ἀποικίαν — ἐκήρυσσον — ἐδεήθησαν δὲ καὶ τῶν Μεγαρέων ναυσὶ σφᾶς ξυμπροπέμψαι.* II, 68 *ἐκβάλλουσι — τοὺς Ἀργείους οἱ Ἀμπρακιῶται — καὶ αὐτοὶ ἴσχουσι τὴν πόλιν. οἱ δὲ Ἀμφίλοχοι — διδόασιν ἑαυτοὺς Ἀκαρνᾶσι καὶ προςπαρακαλέσαντες ἀμφότεροι Ἀθηναίους, οἳ αὐτοῖς Φορμίωνα — ἔπεμψαν, — αἱροῦσι Ἄργος καὶ τοὺς Ἀμπρακιώτας ἠνδραπόδισαν, κοινῇ τε ᾤκησαν αὐτό. μετὰ δὲ τοῦτο ἡ ξυμμαχία ἐγένετο πρῶτον Ἀθηναίοις καὶ Ἀκαρνᾶσιν. οἱ δὲ Ἀμπρακιῶται τὴν μὲν ἔχθραν ἐς τοὺς Ἀργείους — πρῶτον ἐποιήσαντο, ὕστερον δὲ — τήνδε τὴν στρατείαν ποιοῦνται αὐτῶν τε καὶ Χαόνων καὶ ἄλλων τινῶν — βαρβάρων. ἐλθόντες δὲ πρὸς τὸ Ἄργος τῆς μὲν χώρας ἐκράτουν,*

τὴν δὲ πολιν ὡς οὐκ ἐδύναντο ἑλεῖν — ἀπεχώρησαν ἐπ' οἴκου. III, 112 τὸν — μείζω — οἱ προαποσταλέντες — ἔλαθόν τε καὶ ἔφθασαν προκαταλαβόντες· τὸν δ' ἐλάσσω οἱ Ἀμπρακιῶται ἔτυχον προαναβάντες. — ὁ δὲ Δημοσθένης δειπνήσας ἐχώρει καὶ ἅμα ὄρθρῳ ἐπιπίπτει τοῖς Ἀμπρακιώταις . . . ὡς οὖν ἐπέπεσε — τρέπουσι, καὶ τοὺς μὲν πολλοὺς — διέφθειραν, οἱ δὲ λοιποὶ — ἐς φυγὴν ὥρμησαν.

4) Inter quattuor praecipuas Thucydidei sermonis proprietates et quasi elementa Dionysius Halicarnassensis loco laudato τὸ τάχος τῆς σημασίας (i. e. significationis celeritatem vel brevitatem) enumerat, cui Aeneam quoque studuisse supra iam commemoratum est. Cum vero Thucydides eo usque in hac re procedat, ut haud raro prorsus obscure loquatur, quare a veteribus nonnullis quaesivisse illam obscuritatem putabatur, Aeneas multo minus audax cum damno perspicuitatis numquam talia, qualia hic enumeranda sunt, in usum vocat. Quod brevitatis studium conspicitur

a) primum quidem in eo, quod uterque scriptor substantivis verbalibus, quae vocantur, ipsorum verborum loco utitur[31]) nec raro eadem, qua verba inveniuntur, structura. Ex Aeneae libello huc referenda sunt: VIII, 2 πρὸς τὰς ἀποβάσεις τῶν πολεμίων εἰς τὰ ψαμμώδη. X, 3 φόβου καὶ ἀποτροπῆς τῶν ἐπιβουλευόντων ἕνεκα (= ἵνα φοβῶνται καὶ ἀποτρέπωνται οἱ ἐπιβουλεύοντες). XI, 5 ἅπερ ἔμελλε — συνοίσειν πρὸς τὴν κατάληψιν. XIII, 2 τὰ ἄλλα ἐπιτάγματα ἐκ τῶν ἀρχόντων. XXVIII, 6 περὶ τὴν ἀνάβασιν νυκτὸς ἐπὶ τὸ τεῖχος. XXXII, 1 πρὸς τὰς τῶν ἐναντίων προςαγωγὰς μηχανήμασιν. ib. 12 πρὸς μὲν τὸ διόρυγμα πῦρ ποιεῖν πολύ, πρὸς δὲ τὸ πέσημα τοῦ τείχους τάφρον ὀρύσσειν. XXXIII, 2 πυρὸς σκευασίας ἰσχυράς = τοιαύτας ὕλας, οἵαις ἰσχυρὸν πῦρ παρασκευάζεται (vernacula „stoffe, welche ein heftiges feuer erzeugen"), qui vocis σκευασία usus singularis est: idem legitur XXXIV, 1. — XXXVI, 1 ταῖς τῶν κλιμάκων προσθέσεσιν ἀντιοῦσθαι. XXXVII, 6 αἰσθόμενοι τὸ ἐπιχείρημα τοῦ

---

[31]) Cf. Dionys. Hal. l. c. V, pag. 795 et 796.

Ἀμάσιδος. XXXVIII, 1 *ἐν ταῖς προσβολαῖς τῶν πολεμίων πρὸς τὸ τεῖχος μηχανήμασιν ἢ σώμασιν.* — Similiter Thucydides dicit: I, 30 *φυλακῆς ἕνεκα τῆς τε Λευκάδος καὶ τῶν ἄλλων πόλεων.* 65 *μετὰ τῆς Ποτιδαίας τὴν ἀποτείχισιν.* 95 *τῶν ἰδίᾳ πρός τινα ἀδικημάτων.* II, 65 *ἡ πρόνοια αὐτῶν ἐς τὸν πόλεμον.* III, 16 *διὰ κατάγνωσιν ἀσθενείας σφῶν.* 95 *διὰ τῆς Λευκάδος τὴν οὐ περιτείχισιν.* VII, 34 *διά τε τὴν τοῦ ἀνέμου ἄπωσιν αὐτῶν ἐς τὸ πέλαγος καὶ διὰ τὴν τῶν Κορινθίων οὐκέτι ἐπαναγωγήν.* VIII, 8 *καταφρονήσαντες τῶν Ἀθηναίων ἀδυναμίαν.*

b) in eo, quod genetivus infinitivi, addito articulo substantivi instar usurpati, semel apud Aeneam, ut nonnumquam apud Thucydidem, ita usitatus invenitur, ut ad enuntiatum, quod praecedit, referendus designet, quem ad finem id, de quo agitur, gestum sit. Totius igitur enuntiati finalis loco haec structura adhibetur. Aeneanum exemplum est hoc: XXXIX, 7 *ἔστω δὲ ὁ μὲν βρόχος ὅπλον ὡς ἰσχυρότατον, τὸ δὲ ἕλκον ἐπὶ δύο πήχεις ἅλυσις, τοῦ μὴ διατμηθῆναι.* — Ex Thucydide proferam: I, 4 *τὸ λῃστικὸν καθῄρει ἐκ τῆς θαλάσσης — τοῦ τὰς προςόδους μᾶλλον ἰέναι αὐτῷ.* II, 75 *περιεσταύρωσεν αὐτοὺς τοῖς δένδρεσιν — τοῦ μηδένα ἔτι ἐξιέναι.* ib. *ξύνδεσμος ἦν αὐτοῖς τὰ ξύλα, τοῦ μὴ ὑψηλὸν γιγνόμενον ἀσθενὲς εἶναι τὸ οἰκοδόμημα.*

c) Videtur huc illud quoque referendum esse, quod nonnumquam apud Aeneam infinitivus cum verbo finito (imprimis cum iis verbis, quibus motus designatur) ita coniungitur, ut exprimatur, quomodo duae actiones, quarum altera verbo finito, altera infinitivo exhibetur, inter se cohaereant, i. e. quem ad finem primaria illarum fiat. Ad quos infinitivos vertendos vernacula „um zu" verba adhiberi debent. Exempla huius usus sunt haec: III, 3 *μέρος τι τοῦ τείχους τῶν συμμάχων ἑκάστοις ἀποδιδόσθω φυλάττειν.* IV, 10 *ἔλαβε τῶν γυναικῶν τὰς ἐπιτηδειοτάτας συμπλεῦσαι.* XVIII, 5 *πυλωρὸς δεξάμενος τὴν βάλανον ἐμβαλεῖν.* ib. 16 *ἐπεὶ παρῆν ὁ στρατηγὸς κλεῖσαι τὰς πύλας καὶ ἔδωκε τῷ πυλωρῷ τὴν βάλανον ἐμβαλεῖν.* XXII, 16 *τῶν κατὰ τὴν*

πόλιν φυλάκων, ὅσοι ἂν ὦσι μάλιστα ὕποπτοι, ἀφίεσθαι κατ' οἰκίας ἑορτάζειν. XXXI, 15 *δοῦναί τινι ἀναθεῖναι.* Cf. Thuc. I, 117 *ξυνέβησαν Βυζάντιοι ὑπήκοοι εἶναι.* 128 *ἀφικνεῖται ἐς Ἑλλήσποντον τὰ πρὸς βασιλέα πράγματα πράσσειν.* IV, 132 *ἐπιδεῖν πεμψάντων Λακεδαιμονίων τὰ πράγματα.*

5) Quod ad vocabulorum delectum attinet

a) Dionysius Halicarnassensis[32]) haec de Thucydide testatur: *ἐπὶ μὲν τῆς ἐκλογῆς τῶν ὀνομάτων τὴν τροπικὴν καὶ γλωττηματικὴν καὶ ἀπηρχαιωμένην καὶ ξένην λέξιν παραλαμβάνων πολλάκις ἀντὶ τῆς κοινῆς καὶ συνήθους τοῖς καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώποις*, et primo loco eorum, quae Thucydidi propria sint, nominat *τὸ ποιητικὸν τῶν ὀνομάτων.* Quod rectissime eum iudicare et facile unusquisque intelleget, et ipse insequenti capite[33]) exemplis prolatis ostendit. Idem ex aliqua quidem parte in Aeneam quoque cadit: nam praeter ea vocabula, quae cum militaris sermonis propria sint, aut rarius aut apud eum solum inveniuntur, exstant apud Aeneam multae voces in classicae aetatis oratione pedestri non usitatae. Neque vero in hac re de industria Thucydidem videtur imitatus esse, quod quo consilio fecisse putandus sit, nemo videt, sed cum illum licentius in verborum delectu egisse videret, sibi ipsi quoque arbitrabatur non certam verborum copiam usurpandam esse, sed quidquid cuique sententiae locoque videretur aptum esse, licere in usum vocare. Ac primum quidem

α) adhibet Aeneas, quae aut rarissime aut apud poetas tantum prioris aetatis reperiuntur aut scriptorum multo recentioris aevi propria sunt:

αα) Verba obsoleta aut poetarum antiquioris aetatis propria:

τὸ ἄγγος XXIX, 6 (Homer. et Hesiod.). — *ἁμαξοπληθής* (sc. *λίθος*) XXXII, 5. Similiter Eur. Phoen. 1165 *λᾶαν ἐμβαλὼν κάρᾳ ἁμαξοπληθῆ.* — *ἡ ἀνολκή* X, 12: alio sensu Thuc.

[32]) cf. l. c. II, pag. 790.
[33]) l. l. III, pag. 793 et 794.

IV, 112. — *ἀντορύσσω* XXXVII, 7 (ex Herod. IV, 200 petitum). — *ἀντιπαρασκευάζω* XXXII, 7: medialis forma exstat Thuc. I, 80; V, 59; VII, 3; activa et medialis apud Dion. Cass. — *τὸ διόρυγμα* XXXII, 12; XXXVII, 3; 4. (Thuc. IV, 109; Diodor.). — *τὸ δόλωμα* VIII, 2 (Aesch. Choeph. 1003). — *οἱ δρομοκήρυκες* XXII, 3; 22 (Aesch. Dio Cass. Polyaen.). — *ἐξαυτομολῶ* XXIII, 1; XXIV, 16 (Aristoph.). — *καταλιμπάνω* pro *καταλείπω* VIII, 3. — *μέτειμι* = punire XXXVIII, 4; 5; (Aesch. Soph. Eur.). — *τὸ πέσημα* XXXII, 12 (Aesch. Soph. Eur.). — *προεξερευνῶ* XV, 5 (Eur. Phoen. 92.). — *ἐκ προςφάτου* (= *ἐξ ἀπροςδοκήτου*) III, 1. — *ταλαπείριος* X, 10 (Homer). — *χαμαιπετής* XXXII, 9 (Aesch. Eur. Lucian.). — *τὸ χερμάδιον* XXXVIII, 6; 7. (Homer.).

ββ) Cum scriptoribus recentioris aevi Aeneae communia sunt haec vocabula:

ἀδιασκέπτως XXIX, 12. Stephanus in thes. ling. gr. affert Didym. de trinit. p. 90, B. Alibi vix invenietur: nam Iulius Africanus, qui eadem verba *ἀδιασκέπτως ἔχειν* in cap. XLIX[34]) praebet, illum locum verbo tenus ex Aeneae XXIX, 12 exscripsit. — *ἀδιάτμητος* XXXII, 1: apud scriptores ecclesiasticos exstat. — *ἀνθυπορύσσω* XXXVII, 5 (Polyaen. VI, 17). — *ἀντικαταλαμβάνω* XXIV, 14 (Dio Cass.). — *ἀνταποστέλλω* XXXI, 13 (Polyb.). — *ἀντεπιστέλλω* XXXI, 4; 15. (Dio Cass. Lucian. Pausan.). — *δυςδιάβατος* VIII, 1 (Polyb. Diodor.). — *δυςεπίβολος* VIII, 1. Stephanus l. l. affert locum Paul. Alex. Apotel. pag. 52, 19. — *ἐκσπογγίζω* XXXI, 13 (Eubul. ap. Polluc. 9, 91). — *ἐκφερομυθοῦμαι* XXII, 5. (Cornut. nat. deor.). — *εὐείςβολος* XVI, 16 (Strabo). — *εὐκάτοπτος* XXVII, 2 (Cyrill.). — *τὸ ἡμεροσκοπεῖον* VI, 6. Henricus Stephanus annotat Stephanum Byzantium idem ex Artemidoro nominare. Oppiduli Hispaniensis nomen apud Strab. III pag. 159. — *κατασκεπάζω* XXXVII, 3 (Ioseph. Artem.). — *πολιτοφυλακῶ* I, 3 (Polyb.) — *προενδημῶ* XXIX, 4 (Ioseph.). — *προαπαγγέλλω* X, 3 (Dio

[34]) cf. Herch. ed. pag. 122.

Cass. Scriptores eccles.). — *προενείρω* XXXI, 22 (Schol. Luc. Icarom. 33). — *προκαθίζω* vi transitiva usurpatum (*ἐνέδρας προκαθίσαντες*) XV, 9. (Polyb, II, 24, 6). —*προπαραγγέλλω* XXVII, 3 (Dio Cass.). — *προςδιατάσσομαι* XVI, 16 (Ioseph.) — *προσύγκειμαι* XVIII, 18; XXIV, 17 al. (Ioseph.). — *προσυντίθεμαι* XXXI, 25; 30 (Dio Cass. Ioseph.). — *συμπροςάγω* X, 23 (Galen.). — *συνειςτρέχω* XXXIX, 1 (Appian.). — *ὑπερπετής* XXXII, 9 (Strab. Plut.). — *φορταγωγός* XXIX, 4 (Schol. ad Hom. Od. V, 250).

β) Deinde haud pauca pro commentarii poliorcetici magnitudine et *ἅπαξ εἰρημένα* inveniuntur et alia verba ab uno Aenea usurpata quorum magna pars ex artis vocabulis peculiaribus sermonis militaris consistit: — *ἡ ἀντιδομή* XXIII, 5. — *ὁ ἀντικριός* XXXII, 7 bis. — *ἀντιπροθυμοῦμαι* XI, 1. — *ἡ βαλανοδόκη* XVIII, 3; 4; 9; 12. — *ὁ διαδεκτήρ* VI, 4; VII, 2. — *δυςεπίθετος* prooem. 2. — *δυςπροςπόριστος* VIII, 1. — *ἡ ἐκτομάς* XXIV, 5; XXVIII, 2. — *ἡμεροσκοπῶ* VI, 1. — *ἡμιύφαντος* XXIX, 6. — *τὸ θερμάστριον* XVIII, 6 bis. — *ἡ καθολκή* X, 12. — *κατάκολλος* XXXI, 10. — ib. 16 *καταλευκῶ*. — *ὁ λιμενόφυλαξ* XXIX, 12. — *τὸ μεσόπυλον* XXXIX, 3. — *τὸ πάνειον* XXI, 2; XXV, 1; XXVII, 1; 2. — *πισσαλοιφῶ* XI, 3. — *ὁ πολίταρχος* XXVI, 12. Forma *πολιτάρχης* exstat in Act. Apostol. XVII, 6. — *ἡ πολιτοφυλακία* XXII, 7. — *προαποπληρῶ* II, 2: deest hoc verbum in H. Stephani thes. ling. graec. — *προπεριελίσσω* XXXI, 20. — *προϋποτίθημι* XXXVI, 2. Medialis forma huius verbi apud philosophos occurrit translata vi „praesuppono“ (vernacula „vorher zu grunde legen, voraussetzen.“) adhibita. Activa forma propria vi praedita ab uno Aenea praebetur. — *ὁ προωστής* XXXII, 5. — *ἡ συνεκφορά* XVII, 1 (communis exitus ad mortuos efferendos). Longe alio modo Dionys. Halicarn. de compos. verb. pag. 166 hanc vocem usurpat = das zusammenaussprechen: *οὐ γὰρ προτάττεται τὸ σ τοῦ ξ κατὰ συνεκφορὰν τὴν ἐν μιᾷ συλλαβῇ γινομένην*. — *συμπροδίδωμι* XI, 3. — *τὸ ὑπόρυγμα* XXXII, 8; XXXVII, 1.

ὑπορυγμός forma utitur scholiasta ad Aristoph. Nub. 508. — *ὑποτοξεύω* XXXVI, 1. — *ἡ φορμοῤῥαφίς* XVIII, 10.

Vides igitur satis audacem esse Aeneam in vocabulis eligendis adhibendisque.

b) Praeterea constat saepissime Thucydidem vocabula multarum syllabarum (*ὀνόματα μακροσύλλαβα*) in usum vocasse, cum quaesita quadam sublimitate et gravitate dicta. Magnus numerus eorum ad ea pertinet, quae decomposita vocantur, quorum Aeneas quoque est amantissimus. Adhibet autem illa eo consilio, ut quam brevissime simul et clarissime sententiae exprimantur. Plurima illorum praepositione *πρό* adiuncta alia formantur. Exstant apud eum haecce:

ἀνθυποπτεύω XXIV, 11 (Thuc. III, 43). — *ἀνθυπορύσσω* XXXVII, 5. * — *ἀνταποστέλλω* XXXI, 13. — *ἀντεπιστέλλω* ib. 4; 15. — *ἀντικάθημαι* ib. 8 (Thuc. V, 6). — *ἀντιπαρασκευάζω* XXXII, 7. * — *ἀντικαταλαμβάνω* XXIV, 14. * — *ἀντιπροθυμοῦμαι* XI, 1. ** — *ἐγκαταῤῥάπτω* XXXI, 4; 8. — *εἰςαφίημι* XXXII, 9. — *ἐξανίσταμαι* IV, 9 (Thuc. III, 107; VII, 49). — *ἐπαφίημι* XXXII, 6. — *ἐπειςφέρομαι* XXXIX, 3 (Thuc. III, 53). — *ἐπεξέρχομαι* XXIII, 3; 5; 11. XXXIX, 1 (Thuc. I, 62; II, 20; III, 26; V, 9). — *ἐπικαταλαμβάνω* XVI, 11 (Thuc. II, 90; III, 111). — *ἐπισυνδέω* XXXVII, 9. — *προαπαγγέλλω* X, 5. * — *προαποπληρῶ* II, 2. ** — *προαφίημι* XXXII, 6. — *προεμβάλλω* XVIII, 3 (Thuc. IV, 25). — *προενδημῶ* XXIX, 4. * — *προενείρω* XXXI, 22. * — *προεξερευνῶ* XV, 5. * — *προκαθίζω* ib. 9. * — *προκαθίημι* XVIII, 9. — *προκαταλαμβάνω* II, 1; XV, 5; XVII, 4; 5. XXII, 2; 19 (Thuc. I, 33; II, 2; III, 112). — *προκατασκευάζω* XVI, 16 (XXI, 1). — *προπαραγγέλλω* XXVII, 3. * — *προπαρασκευάζω* XI, 14 (Thuc. I, 57; 68. II, 88). — *προπεριελίσσω* XXXI, 26. ** — *προςδιατάσσομαι* XVI, 16. * — *προςεπιδέω* XVIII, 19. — *προςκάθημαι* XII, 3; XXII, 1; XXIII, 1 (Thuc. VIII, 11). — *προσύγκειμαι* XVIII, 18; XXIV, 17; XXV, 2;

---

*) Quae hoc signo notavi, spectant ad a, *α*.

**) Ea, quae sic signavi, iam supra sub a, *β* allata sunt.

4; XXVI, 13; XXVII, 2 bis. XXXI, 16; 26; 27. * — *προσυντίθεμαι* XXXI, 25; 30. * — *προϋποτίθημι* XXXVI, 2. * * — *συμπερίειμι* XXXVIII, 2. — *συμπροδίδωμι* XI, 3. * * — *συμπροςάγω* X, 23. * — *συνδιάγω* X, 24. — *συνδιατελῶ* ib. 12. — *συνειςπίπτω* XXXIX, 5 bis. — *συνειςτρέχω* XXXIX, 1; 2. * — *συνεπιβουλεύω* XVII, 4. — *ὑπεκτίθεμαι* X, 1 (Thuc. I, 89).

Eodem referri possunt:

ἀδιασκέπτως XXIX, 6. * — *ἀδιάτμητος* XXXII, 1. * — *ἀνύποπτος* XXIII, 9. adverbium exstat: X, 20; 24; XXIX, 6 (Thuc. III, 43 *ἀνυποπτότερα*). — *ἀπροσκέπτως* XXVIII, 4. — *δυςδιάβατος* VIII, 1. * — *δυςείςβολος* XVI, 17 (Thuc. III, 101). — *δυςεπίβολος** et *δυςπροςπόριστος* * * VIII. 1. — *ἡ ἐπανάστασις* XI, 13 (Thuc. VIII, 21). — *ἡ ἐπέξοδος* XXIII, 1 (Thuc. V, 8). — *εὐαπαλλάκτως* XVI, 17. — *εὐείςβολος* XVI, 16. * — *εὐκάτοπτος* XXVII, 2. * — *εὐπρόςοδος* XXII, 15 (Thuc. VI, 57). — *ἡ συνεκφορά* XVII, 1. * * —

Vocabula tribus praepositionibus inter se conexis formata, quale e. gr. est apud Thuc. II, 76 *προςεπεξευρίσκω*, Aeneas non in usum vocat.

6) Thucydidem saepe ita vocabula inter se coniunxisse constat, ut vel numerus vel genus vel utrumque commutaretur: singularem enim numerum eorum substantivorum, quae collectiva appellare consuevimus, i. e. quae hominum multitudinem significant, verbi, quod inde pendet, numerus pluralis et, si quod adiectivum ad substantiva illa refertur, huius pluralis masculini generis sequitur[35]). Duobus locis sic *κατὰ σύνεσιν* apud Aeneam conectuntur verba: X, 2 *οἷς δ' ἂν μὴ ὑπάρχῃ ξενία, παρ' οὓς θήσονται κ. τ. λ.* ubi Hercherus tradita verba ferri non posse ratus correxit *ὑπάρχωσι ξένοι*, quo iure, ipse viderit. Equidem codicum scripturam multis similibus et Thucydidis et aliorum locis satis

---

35) Cf. Dion Halic. l. c. XIII, pag. 802.

defendi credo: nam ab ipso Aenea illud alienum non esse, docet alter locus XXIV, 1 *ἐὰν τύχῃ τὸ στράτευμα μιγάδες ὄντες.* — Cf. Thuc. II, 21 *παντί τε τρόπῳ ἀνηρέθιστο ἡ πόλις καὶ τὸν Περικλέα ἐν ὀργῇ εἶχον, καὶ ὧν παρῄνεσε πρότερον ἐμέμνηντο οὐδὲν, ἀλλ' ἐκάκιζον ὅτι στρατηγὸς ὢν οὐκ ἐπεξάγοι, αἴτιόν τε σφίσιν ἐνόμιζον πάντων ὧν ἔπασχον.* — VI, 61 *στρατιὰ — οὐ πολλὴ ἔτυχε — μέχρι ἰσθμοῦ παρελθοῦσα πρὸς Βοιωτούς τι πράσσοντες.* Genus solum mutatur e, gr. II, 91 *αἱ μέν τινες τῶν νεῶν — ἐπέστησαν τοῦ πλοῦ, ἀξύμφορον δρῶντες πρὸς τὴν ἐξ ὀλίγου ἀντεξόρμησιν, βουλόμενοι τὰς πλείους περιμεῖναι κ. τ. λ.*

7) Propinquum huic structurae est *προςωποποιίας*, quae vocatur, usus, ex quo rebus ipsis inanimis actiones attribuuntur, res igitur quasi homines agentes depinguntur. Huius generis nonnulla exempla apud Thucydidem inveniuntur, unum apud Aeneam XXVIII, 6: (*ἅμαξαι*) — *ἐγγὺς ἐλθοῦσαι πρὸς τὰς πύλας ηὐλίζοντο, ὡς φοβούμεναι πολεμίους.*[36]) Quibuscum verbis cf. e. gr. Thuc. II, 91 *αἱ μέν τινες τῶν νεῶν καθεῖσαι τὰς κώπας ἐπέστησαν τοῦ πλοῦ κ. τ. λ.* — I, 122: *ἥκιστα γὰρ πόλεμος ἐπὶ ῥητοῖς χωρεῖ, αὐτὸς δὲ ἀφ' αὑτοῦ τὰ πολλὰ τεχνᾶται πρὸς τὸ παρατυγχάνον· ἐν ᾧ ὁ μὲν εὐοργήτως αὐτῷ προςομιλήσας βεβαιότερος, ὁ δὲ ὀργισθεὶς περὶ αὐτὸν οὐκ ἐλάσσω πταίει.* — II, 21: *παντὶ — τρόπῳ ἀνηρέθιστο ἡ πόλις.* —

8) Quod ad participiorum usum spectat

a) bis Aeneas accusativo, ut ita dicam, absoluto utitur, i. e. accusativo participii neutrius generis subiecto non apposito loco genetivi absoluti, qui vocatur: XI, 13 *ἐπανάστασιν δέον γενέσθαι.* — XXVII, 5 *ὡς ἐσόμενόν τι περὶ αὐτούς.* Multo frequentius illam structuram Thucydides abhibet: cf. e. gr. I, 120 *ἀνδρῶν — ἀγαθῶν (ἐστιν) ἀδικουμένους ἐκ μὲν εἰρήνης πολεμεῖν, εὖ δὲ παρασχὸν ἐκ πολέμου πάλιν ξυμβῆναι.* ib. 125 *δεδογμένον — αὐτοῖς.* — III, 96 *Ἡσίοδος — λέγεται ὑπὸ τῶν ταύτῃ ἀποθανεῖν, χρησθὲν αὐτῷ — τοῦτο παθεῖν.* —

---

36) De tota natura huius loci cf. cap. II, B, II.

IV, 95 *ὡς — οὐ προςῆκον.* — 125 *ἀμφοτέροις — δοκοῦν ἀναχωρεῖν.* — V, 39 *εἰρημένον ἄνευ ἀλλήλων μήτε σπένδεσθαί τῳ μήτε πολεμεῖν.*

b) Genetivus absolutus.

α) ter ab Aenea usurpatur, ubi relative positum participium expectaveris: II, 6 ... *ὥςτε βουλομένων τῶν Θηβαίων ἀμύνεσθαι — οὐκ ἐλάττω ἀπὸ τῶν ἁμαξῶν βλαβὴν ἢ ἀπὸ τῶν προςκειμένων αὐτοῖς ἀνθρώπων γενέσθαι.* — X, 1 *τῶν πολιτῶν τοὺς κεκτημένους ζεύγη ἢ ἀνδράποδα ὑπεκτίθεσθαι — ὡς οὐκ εἰςαξόντων εἰς τὴν πόλιν.* — 22 *γενομένου — αὐτοῦ ἐν Ἱμέρᾳ πέμψας ἐκέλευσεν περιμένειν.* Possit etiam huc referri XVI, 14 *κομισθέντων εἰς τὸ προςῆκον — ἀποβάντες οἱ ὁπλῖται*: sed melius *κομισθέντων* coniungitur cum iis quae statim sequuntur post *προςῆκον*: *καὶ ἑξῆς τῶν ζευγῶν παραταχθέντων.* — Thucydidea exempla placet haec proferre: III, 13: *βοηθησάντων ὑμῶν προθύμως πόλιν προςλήψεσθε.* — 22 .. *λαθόντες τοὺς φύλακας, ἀνὰ τὸ σκοτεινὸν — οὐ προϊδόντων αὐτῶν.* —

Qua structura singula magis inter se discernuntur eaque, quae genetivo absoluto exhibentur, gravius premuntur quam relativa participii structura adhibita fieret.

β) nonnumquam apud Aeneam, multo saepius apud Thucydidem, ita in usum vocatur, ut subiectum ex sententiarum conexu mente adiciendum sit. Haud fortuito certe factum est, ut Aeneas fere semper pluralem numerum ita adhibitum praebeat*: cf. IV, 6 *ἐπὶ πρᾶξιν πορευθέντων.* — XVII, 1 *ὑπόπτως πρὸς ἀλλήλους ἐχόντων.* — XXII, 23 *οὕτω περὶ τὰς φυλακὰς διατελούντων.* — ib. 26 *ἀκινδύνων καὶ εἰρηναίων ὄντων.* — XXVI, 7 *ἐν ὑποψίᾳ ὄντων ἀλλήλοις.* — XXVII, 4 *μάχης — γενομένης καὶ νικηθέντων.* — Respondent his loci Thucyd. I, 7 *ἤδη πλωιμωτέρων ὄντων.* — 116 *ἐςαγγελθέντων ὅτι Φοίνισσαι νῆες ἐπ' αὐτοὺς πλέουσιν.* — IV, 20 *ἔτι ὄντων ἀκρίτων.* — I, 74 ... *σαφῶς δηλωθέντος, ὅτι ἐν ταῖς ναυσὶ — τὰ πράγματα ἐγένετο.*

---

*) Ibi scilicet, ubi generalis sententia est: aliter XXXI, 4 ubi singularis exstat simulque anacoluthia est statuenda.

9) In eo quoque Aeneas Thucydidem sequitur, quod ττ litterarum coniunctioni, quae in cotidiano sermone usitata erat, antiquiorem formam σσ praetulit. Cum vero Thucydides constanter formis in σσ comparatis usus sit, apud Aeneam plus quinquagies haec, paene vicies[37]) forma in ττ ficta invenitur: nec vero dubitarem ubique antiquiorem illam formam, id quod Meinekius suasit[38]), restituere, si de omnibus talibus rebus Aeneas cum Thucydide consentiret. Sed cum Thucydides *ξύν, ἐς, ἤν, κλῄω, ὁμοιότροπος* al. dicere soleat, Aeneas semper *σύν, εἰς* (nam quod XVI, 4 *ξυνέσεως*, XXXVIII, 2 *ξυμπερωένωι*, III, 6, XL, 4 *ἐς* traditum est, librariorum neglegentiae tribuendum videtur, non Aeneae), *κλείω, ἐάν* (plus quinquagies) vel *ἄν* (circiter vicies) *ὁμότροπος* scribit.

10) Denique iam Dionysius Halicarnassensis animadvertit Thucydidem inceptas periodos non semper secundum leges grammaticas ad finem perduxisse, sed saepe a via sua deflexisse longeque alium, quam quem pro initio totius structurae exspectaveris, finem enuntiati fecisse, id quod exposuit hisce verbis: *Ἐν δὲ τοῖς ἐνθυμήμασί τε καὶ νοήμασιν αἱ μεταξὺ παρεμπτώσεις πολλαὶ γινόμεναι καὶ μόλις ἐπὶ τὸ τέλος ἀφικνούμεναι, δι᾽ ἃς ἡ φράσις δυςπαρακολούθητος γίνεται, πλεῖστα μέν εἰσι καθ᾽ ὅλην τὴν ἱστορίαν*[39]). Neque apud Aeneam desunt huiusmodi anacoluthiae, modo ne putaveris etiam in his illum de industria Thucydidem expressisse: nam quo quis sanae mentis homo consilio manifesta vitia alius scriptoris imitanda sibi proposuerit, vix invenietur, qui ostendat. Ideo tamen huius generis exempla in calce eius partis, quam de Aenea Thucydidis imitatore constitui, esse proferenda existimo, ut omnia, quae utrique scriptori communia sunt,

---

[37]) Accuratius numeros definire ideo nolui, quod, quae genuina Aeneae sint, aliter alius iudicat.

[38]) L. l. (in Hermae vol. II, pag. 190): „Nec *πράττειν*, *θάλαττα* et similia scripsisse Aeneam praeter constantem fere librorum consensum docet, quem etiam in his minutiis expressit, Thucydides.“

[39]) cf. l. c. XIV, pag. 804.

una enumerentur. Hae anacoluthiae apud Aeneam inveniuntur: XXIII, 4 . . κατεπέτασαν ἱστίον καὶ ἀνῆραν διὰ χρόνου τινὸς, ὥςτε κατ᾽ ἀρχὰς μὲν θαυμάσαι τοὺς πολεμίους, ὕστερον δὲ καὶ πολλάκις γιγνομένου ἀμέλειαν εἶχον. XXVII, 1 τοὺς — περὶ πόλιν ἢ στρατόπεδον ἐξαίφνης θορύβους καὶ φόβους γενομένους, — ἅπερ — καλεῖται πάνεια, τοιόνδε τινὲς κελεύουσι καταπαύειν θέλοντας αὐτά. XXXI, 2 ἀφικομένου τοῦ βιβλίου παρ᾽ ὃν ἔδει, ἐξεγράφετο καὶ — ἐγνώριζε τὰ ἐπισταλέντα. — 4 ἀφικομένου δὲ, παρ᾽ ὃν δεῖ, καὶ ἀναπαυομένου ἐν τῇ νυκτὶ ἀναλυέτω τὰς ῥαφὰς τῶν ὑποδημάτων καὶ ἐξελὼν — ἀποστελλέτω τὸν ἄνδρα. 13 ὅταν δὲ ἔλθῃ παρ᾽ ὃν δεῖ, ἐξεράσας τὸ ἔλαιον ἀναγνώσεται. 14 ὅτε ἦλθε, παρ᾽ ὅν ἔδει, ἐκκνήσας τὸν κηρὸν καὶ ἀναγνοὺς ὁμοτρόπως ἀντεπέστειλεν. 33 Ἀστυάνακτι πεμφθείσης ἐπιστολῆς — παρὰ τὸ μὴ εὐθὺς ἀνοῖξαι διεφθάρη, τὴν ἐπιστολὴν ἔχων περὶ τοὺς δακτύλους. XXXII, 8 τὰ μεγάλα μηχανήματα, ἐφ᾽ ὧν σώματα πολλὰ προσάγεται καὶ βέλη ἐξ αὐτῶν ἀφίεται. — Cf. Thuc. I, 2 τῆς γὰρ ἐμπορίας οὐκ οὔσης οὐδ᾽ ἐπιμιγνύντες ἀδεῶς ἀλλήλοις οὔτε κατὰ γῆν οὔτε διὰ θαλάσσης, νεμόμενοί τε τὰ αὐτῶν ἕκαστοι ὅσον ἀποζῆν καὶ περιουσίαν χρημάτων οὐκ ἔχοντες οὐδὲ γῆν φυτεύοντες, ἄδηλον ὂν ὁπότε τις ἐπελθὼν καὶ ἀτειχίστων ἅμα ὄντων ἄλλος ἀφαιρήσεται, τῆς τε καθ᾽ ἡμέραν ἀναγκαίου τροφῆς πανταχοῦ ἂν ἡγούμενοι ἐπικρατεῖν οὐ χαλεπῶς ἀπανίσταντο, καὶ δι᾽ αὐτὸ οὔτε μεγέθει πόλεων ἴσχυον οὔτε τῇ ἄλλῃ παρασκευῇ. — 9 λέγουσι — Πέλοπά τε πρῶτον δύναμιν περιποιησάμενον τὴν ἐπωνυμίαν τῆς χώρας ἐπηλύτην ὄντα ὅμως σχεῖν, καὶ ὕστερον τοῖς ἐκγόνοις ἔτι μείζω ξυνενεχθῆναι, Εὐρυσθέως μὲν ἐν τῇ Ἀττικῇ ὑπὸ Ἡρακλειδῶν ἀποθανόντος, Ἀτρέως δὲ μητρὸς ἀδελφοῦ ὄντος αὐτῷ, καὶ ἐπιτρέψαντος Εὐρυσθέως, ὅτ᾽ ἐστράτευε, Μυκήνας τε καὶ τὴν ἀρχὴν — Ἀτρεῖ, τυγχάνειν δὲ αὐτὸν φεύγοντα τὸν πατέρα καὶ — βουλομένων καὶ τῶν Μυκηναίων φόβῳ τῶν Ἡρακλειδῶν καὶ ἅμα δυνατὸν δοκοῦντα εἶναι — τῶν Μυκηναίων τε καὶ ὅσων Εὐρυσθεὺς ἦρχε τὴν βασιλείαν Ἀτρέα παραλαβεῖν κ. τ. λ. — Multo maiore licentia Thucydidem usum esse quam Aeneam et his et multis aliis exemplis edocetur.

Sed haec hactenus. Quoniam Aeneam Thucydidem varie imitatum esse sat multis ostendimus, iam agendum est

II. De reliqua sermonis Aeneae natura.

In hac parte non solum ea tractanda sunt, quae apud Thucydidem omnino non reperiuntur, sed etiam, quae non tam peculiaria sunt stili Thucydidei, ut non aequo modo a multis aliis scriptoribus adhibeantur: nam ea, quae priore parte comprehenduntur, quamquam pauca eorum etiam apud alios hic illic exstant, nulli tamen tam familiaria sunt quam ipsi Thucydidi.

1) Variandae orationis causa nonnumquam Aeneas subiectum, obiectum, modum alia commutat vel ab obliqua, quae vocatur, oratione ad rectam pergit:

prooem. 1. *ὅσοις τῶν ἀνθρώπων ἐκ τῆς αὐτῶν ὁρμωμένοις χώρας ὑπερόριοί τε ἀγῶνες καὶ κίνδυνοι συμβαίνουσιν, ἄν τι σφάλμα γένηται κατὰ γῆν ἢ κατὰ θάλασσαν, ὑπολείπεται τοῖς περιγιγνομένοις αὐτῶν οἰκεία τε χώρα καὶ πόλις.* XV, 7 *πολλῶν ἕνεκα καὶ μάλιστα ἐνέδρας φοβούμενον πολεμίων* (ne repetatur *ἕνεκα*). XVI, 15 *οἵ τε τραυματίαι καὶ εἴ τι ἄλλο σύμπτωμα γένοιτο — ἀπάγοιντ' ἂν εἰς τὴν πόλιν.* XVII, 1 .. *εὐλαβεῖσθαι τὰς μετ' ὄχλου ἐξόδους — ὅσαι τε ἱεροποιίαι πανδημεὶ ἐκτὸς τῆς πόλεως — ἐκπέμπονται, ἔτι καὶ περὶ τὰς πανδήμους νεωλκίας καὶ τὰς συνεκφορὰς τῶν τελευτησάντων.* XXVI, 7 .. *διὰ τὸ πλῆθος ἀποβαλεῖν ἢ ἐκ τραυμάτων ἢ συμμάχων ἀποστάσει ἢ δι' ἄλλο τι σύμπτωμα.* ib. 14 *ἀπὸ τούτου αἱρέσθω λαμπτὴρ καὶ πρὸς τοῦτον ἀνταίρεσθαι τοὺς ἄλλους* (ne nimis cumulentur imperativi: praecedit enim *αἱρέσθω* et *παρασκευασθήτω*). Similiter XXXIII, 2: *παρεσκευάσθω ξύλον — καὶ εἰς μὲν τὰ ἄκρα τοῦ ξύλου κροῦσαι σιδήρια ὀξέα, περὶ δὲ τὰ ἄλλα μέρη — χρῖσαι πυρὸς σκευασίας ἰσχυράς, τὸ δὲ εἶδος γενέσθω οἷον κεραυνός* .. XXXIX, 7 *ἔστω — ὁ μὲν βρόχος ὅπλον ὡς ἰσχυρότατον, τὸ δὲ ἄλλο, ὅθεν ἕλκουσι, σχοῖνος. οὗτος δὲ ἔσω κατακρέμαται καὶ ἀνασπᾶται* .. — XXXI, 1 *ἐπιστολῶν παντοῖαι μέν εἰσι*

πέμψεις, αἱ δὲ λανθάνουσαι μάλιστα τοιαίδε ἂν εἶεν. εἰς φορτία — ἐνεβλήθη βιβλίον. —

Ex obliqua ad rectam orationem transitur his locis: X, 19 *ἐν — ξενικῷ σρατοπέδῳ — τοιάδε κηρῦξαι. εἴ τις βούλεται ἀπιέναι μὴ ἀρεσκόμενος τοῖς παροῦσιν, ἐξεῖναι ἀπαλλάττεσθαι, ἀλλ' ὕστερον πεπωλήσεται· ἐὰν δέ τις φαίνηται βλάπτων τι τὸ στράτευμα — θάνατος ἔστω ἡ ζημία κ. τ. λ.* XI, 8 .. *εἰπεῖν, ὅτι σύμφερον εἴη — πάντας — παρεῖναι. — ἐὰν δέ τις ἄλλῃ τὰ ὅπλα ἐξενεγκάμενος φανῇ, ὡς προδότης — πασχέτω τι.* XVI, 14 *Κυρηναίους καὶ Βαρκαίους λέγεται τὰς μακρὰς βοηθείας — ἐπὶ συνωρίδων — βοηθεῖν. κομισθέντων δὲ εἰς τὸ προςῆκον καὶ ἑξῆς τῶν ζευγῶν παραταχθέντων, ἀποβάντες οἱ ὁπλῖται — προςεφέροντο τοῖς πολεμίοις*: neque enim est, cur cum Herchero scribamus *προςφέροιντ' ἂν*, cum sequenti demum paragrapho ab hac narratione ad novum praeceptum pergatur. XVIII, 3 *φασὶ — βαλάνους ὧδε ἐξαιρεθῆναι. ἐμβαλλομένης — ἄμμου ἐσείετο ὁ μοχλός.* XXXVII, 6 *λέγεται Ἄμασιν Βαρκαίους πολιορκοῦντα ἐπιχειρεῖν ὀρύσσειν. οἱ δὲ Βαρκαῖοι αἰσθόμενοι τὸ ἐπιχείρημα τοῦ Ἀμάσιδος, ἠποροῦντο μὴ λάθῃ ἢ φθάσῃ.*

Vel apud optimos scriptores talia inveniri non est, quod longius exponam.

2) P r a e c e p t a, quae, ut in eiusmodi commentariis fieri solet, in unaquaque fere paragrapho exstant, ita Aeneas dat, ut plus quadragies imperativi tertia persona (sing. vel plur.), sexies altera (XXXI, 18), plus vicies verbo *δεῖ*, circiter septuagies *χρή* utatur, plus ducenties simplici infinitivo (quadragies circiter infin. pass.) aut apposito accusativo aut mente addendo. Quos infinitivos ab Aenea non, ut apud Homerum factum est, ipsius imperativi loco adhibitos, sed semper *χρή* vel *δεῖ* supplendum esse, inde elucet, quod et Aeneanis illis locis de tam acri adhortatione unius certae personae cogitari nequit, quae propter totam infinitivi naturam infinitivis imperativorum vice usitatis exprimatur necesse est[40]), et quod

[40]) cf. Iul. Iollyi libr. qui inscribitur „Geschichte des infinitivs im In-

saepissime magnus numerus illorum infinitivorum praeposita in alio enuntiato verba *χρή* vel *δεῖ* sequitur.

Nonnumquam adiectivum verbale, quod vocamus, occurrit: eius semper singularem numerum adhibet et, si qua vocabula inde pendent, haec ita cum adiect. verb. conectit, ut illud eadem, qua verbum occurrit, structura usurpet: cf. prooem. 3: *πολλῶν καὶ παντοίων ἔργων πρόνοιαν ἑκτέον*. I, 1 *τοὺς μερισμοὺς ποιητέον*. — IX, 1 *τάδε ποιητέον*. X, 20: *τῶν ἄλλων πράξεων ἐπιμέλειαν ποιητέον*. XIX: *ταῦτα παρετέον*.

Vocibus *ἄριστον δέ* novies (II, 1; VI, 6; XVI, 13; XVII, 6; XX, 3; XXII, 14; XXVI, 10; XXVII, 3; XXXII, 7), *ἀγαθὸν δέ* semel (XXII, 19) praecepta inducuntur, praeterea nonnumquam optativo cum *ἄν* vocula coniuncto (cf e. gr. III, 1, ubi imperativus, XIII, 1, ubi *χρή*, XXV, 2 ubi infinitivus, XXXI, 1, ubi indicativus aoristi, ib. 3, ubi infinitivus sequitur, etc.).

3) Enuntiata ita Aeneas conformare solet, ut ea vocabula, in quibus summa vis inest, in initio totius enuntiati ponat. Quod vero ad ordinem singulorum vocabulorum spectat

a) saepe videmus voces, quae per logicam rationem arte inter se coniungendae erant, verbo finito vel participio vel aliis vocabulis interpositis divelli, qua contorta quasi collocatione singula verba magis premuntur: prooem. 1 *ἐκ τῆς αὑτῶν ὁρμωμένοις χώρας*. 2 *τοῖς ὑπὲρ τῶν μεγίστων μέλλουσι κινδυνεύειν*. 3 *τοὺς ὑπὲρ τοσούτων καὶ τοιούτων μέλλοντας ἀγωνίζεσθαι*. ib. *ὅπως — μηδὲν φανῶσι σφαλέντες*. ib. 2 *φοβεροὺς τοῖς ἐναντίοις καὶ δυςεπιθέτους*. I, 4 *αὐτῶν ἀπονεῖμαι δεῖ τοὺς φρονιμωτάτους*. II, 1 *τοῖς νεωτερίζειν βουλομένοις καὶ προκαταλαμβάνειν αὐτάς*. 3 *τοὺς εἰςβάλλειν ἐπιχειροῦντας εἰς αὐτὸ τὸ πόλισμα*. 6 *ὥςτε οὐκ ἐλάττω ἀπὸ τῶν ἁμαξῶν βλάβην ἢ ἀπὸ τῶν προςκει-*

dogermanischen" pag. 215 et 216; — et Eug. Wilhelmi „De infinitivi ling. sanscr. bactr. pers. graec. osc. umbr. lat. goticae forma et usu" pag. 90.

μένων αὐτοῖς ἀνθρώπων γενέσθαι. III, 3 *ἄν τις ἐπιχειρῇ ἄλλος ἀναβαίνειν.* 5 *τὰς ἐγγυτάτω ῥύμας τῆς ἀγορᾶς.* 6 *εἰς τοὺς προςήκοντας ἕκαστοι τόπους ἀφίκοιντο.* IV, 5 *μετὰ συσσήμων ἀποστέλλειν καὶ ἡμερινῶν καὶ νυκτερινῶν.* VIII, 2 *ὅσα καὶ οἷα χρὴ κατασκευάζεσθαι δολώματα.* IX, 1 *ὡς ὑπαρξούσης τινὸς αὐτοῖς πράξεως.* XI, 14 *τῶν τῆς φρουρᾶς τινες ἄρχοντες,* ubi simul hac collocatione structura mutatur: exspectandum erat *τῶν τῆς φρουρᾶς ἀρχόντων τινὲς.* XV, 7 *ἐνέδρας φοβούμενοι πολεμίων.* XVI, 14 *κομισθέντων εἰς τὸ προςῆκον καὶ ἑξῆς τῶν ζευγῶν παραταχθέντων.* XXII, 11 *ἥκιστ' ἂν ὑπό τινων ἀγρευθεῖεν λάθρᾳ προςελθόντων.* XXVI, 7 *χρὴ τὰ προγεγραμμένα κατὰ τὰς φυλακὰς πράσσειν καὶ τοὺς περιόδους.*

b) Compluria exempla anticipationis, quae vocatur, inveniuntur: VI, 2 *ἀγνοοῦντες τὰς τῶν πολεμίων ἐργασίας καὶ πράξεις, εἴτε ἐκ παρασκευῆς πράσσονται εἴτε καὶ ἀπὸ ταὐτομάτου.* XVIII, 1 *περὶ τῶν πυλῶν ἐπιμελητέον, ὅπως καλῶς κλείωνται.* XL, 8 *περὶ — ὑδάτων ὡς δεῖ πότιμα ποιεῖν, — δεδήλωται.*

c) Nonnumquam Aeneas eam verborum collocationem, quae *χιασμός* a veteribus nominatur, amplectitur: I, 1 *πρὸς τὸ μέγεθος τῆς πόλεως — καὶ τῶν φυλάκων τὰς καταστάσεις.* III, 5 *τὰς ἐγγυτάτω ῥύμας τῆς ἀγορᾶς — τοῦ δὲ θεάτρου τὰς ἐγγυτάτω ῥύμας.* — XI, 7 *ἐποίει κακῶς ἐν τῷ φανερῷ, σιγῇ δὲ ἤκουε.* 8 *τὸ μὲν μέλλον μὴ προειπεῖν, εἰπεῖν δὲ ἄλλα καὶ ὅτι κ. τ. λ.* XXIII, 2 *τούς τε τῶν κυνῶν ὑλαγμοὺς καὶ τῶν ἀλεκτρυόνων τὰς φωνάς.* XXXI, 34 *διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν καὶ ἐν Θήβαις ἡ Καδμεία κατελήφθη, τῆς τε Λέσβου ἐν Μυτιλήνῃ παραπλήσια τούτοις ἐπράχθη.*

4) Transitiones ab alia parte in aliam simplicissimae sunt apud Aeneam: plus tricies una *δέ* vocula ea, quam absolvit cum ea, ad quam tractandam pergit, parte conectitur: quod ita saepius fit, ut vocabulo ante *δέ* posito sequentis partis argumentum indicetur: cf. e. gr. XXIII, 1 *Ἐπεξόδους δὲ ποιούμενον λαθραίους.* XXIV, 1 *Παραδιδόντα δὲ συνθήματα.* XXVI, 1 *Περιοδεύειν δέ κ. τ. λ.* Bis voce

οὖν I, 1; XVI, 1, semel *ἔπειτα* V, 1 (semel forsitan *ἔπειτα οὕτω* IV, 1), *ἔτι δὲ καὶ* XI, 1, quinquies tantum toto enuntiato ad transitionem formandam utitur: XIV, 1 *Τοῖς μὲν οὖν ἐν τῇ πόλει ὑπεναντία θέλουσι τοῖς καθεστηκόσι προςφέρεσθαι ὡς προγέγραπται, τὸ δὲ πλῆθος τῶν πολιτῶν εἰς ὁμόνοιαν — χρὴ προάγειν.* XXI, 2 *Περὶ δὲ φυλάκων καταστάσεως καὶ περιοδειῶν τὰ μὲν πολλὰ ἐν τῇ Στρατοπεδευτικῇ βίβλῳ γραπτέον*[41]), *ὀλίγα δὲ αὐτῶν καὶ νῦν δηλώσομεν.* XXII, 25 *Περὶ μὲν οὖν φυλακῶν ἰσότητος ἱκανῶς μοι δεδηλώσθω. ἐν δὲ τοῖς ἀκινδυνοτέροις κ. τ. λ.* Verba *περὶ μὲν οὖν φυλακῶν κ. τ. λ.* non tam in fine § 25. quam initio § 26, ad quam transitur, videntur ponenda esse[42]). — XXIX, 1 *Περὶ δὲ τῶν εἰςκομιζομένων εἰς τὴν πόλιν ἀγγείων τε καὶ φορημάτων νῦν δηλωθήσεται.* XL, 8 *Ἐπεὶ δὲ ταῦθ' ἡμῖν εἴρηται, περὶ ναυτικῆς τάξεως δίειμι.* — Genetivum absolutum ad eundem finem adhibitum invenis XV, 1 *Κατασκευασθέντων δὲ τούτων κ. τ. λ.*

Narrationes quoque, quas ad praecepta sua illustranda tam saepe operi suo inseruit Aeneas, plerumque sola vocula *δέ* praecedentibus verbis annectuntur, nonnumquam *οἷον* voce (cf. X, 21; XII, 3; XXIV, 3 al.) nonnumquam enuntiatis inducuntur: IV, 7 *τοῖς δὲ μὴ οὕτω πράττουσιν ἃ συμβέβηκεν ἐμφανισθήσεται ἐκ τῶν ἤδη γενομένων κ. τ. λ.* XI, 2 *ῥηθήσονται δὲ ἑξῆς αἱ ἐπιβουλαὶ — παραδείγματος ἕνεκα.* XXIII, 7 *πρᾶξις δὲ καὶ ἥδε ἐξοισθήσεται ἐξ ἀρχόντων*[43]). XXIX, 3 *ἐξοίσω δὲ παραδείγματος ἕνεκα ἐπὶ πράξει γεγενημένα. κατελήφθη γὰρ πόλις κ. τ. λ.*

5) Quoniam Hugius, ut nonnullos locos eiciendos esse nobis persuaderet, contendit[44]) prorsus ab Aenea alienam esse subtilitatem divisionum et antitheses, iam ut appareat, quantopere ille erraverit, aliquot locos ex eorum numero afferam, ubi subtilitas dividendi, quam vocat, vel an-

---

[41]) cf. pag. 4 annot. 5.

[42]) Nil expungendum erat Hugio. cf. cap. II, B, I, 2.

[43]) Quod Hugius haec delevit, cf. cap. II, B, I, 3.

[44]) In prolegomenorum criticorum ad Aeneae Poliorcetici edit. pag. 11; 16; 37 extr.

thitheses inveniuntur: prooem. 2; I, 1—3; 5, 8; II, 2; 4; 6; III, 2; 5; VI, 3; VIII; X, 21—22; XI, 7—8; XIII, 1; 4 extr. XIV, 1 (*ἀπορία — εὐπορία*); XV, 6; XVII, 1; 4; XXI, 2; XXII, 4; 9; 15; XXIV, 13; XXV, 2—4; XXVI, 7; XXIX, 6; 8; 10; XXXIII, 2 al. In quibus aequa iniuria „rhetoricas antitheses" deprehendi aliquis contenderet, atque Hugius nonnullis locis, quos delevit.

6) Quod ad temporum consecutionem, quae vocatur, pertinet, Aeneas quoque, ut plurimi, etiam praecedente tempore historico in enuntiato finali coniunctivum ponit; cf. XI, 3 *τῶν ἀρχόντων τις — τοὺς συνάρχοντας ἔπεισε — ἵνα ἐκ προφάσεως κλίμακες προςπορισθῶσι.* 4 *συνεβούλευε — τὸ πλῆθος ἀπόμισθον ποιῆσαι ἵν' ὡς ἐλάχιστον δῆθεν ἀνάλωμα τῇ πόλει ᾖ.* 8 *ἔδοξε τὸ μέλλον μὴ προειπεῖν — ἵνα μὴ — ταραχθῇ.* 10 *ἔπεισαν τὸ πλῆθος ἑξήκοντα θεῖναι ἑκατοστύας, ἵνα ἐν ταύταις — εἰς τὰς φυλακὰς — φοιτῶσιν οἱ πλούσιοι.* XVIII, 3 *ἄμμον προενέβαλεν, ὅπως ἡ βάλανος ἔξω μένῃ.* 7 *ἔλαθε τρέψας τὸν μοχλὸν — ἵνα μὴ κατέλθῃ εἰς τὸ τρύπημα ἡ βάλανος.* XXIV, 16 *Ἰφικράτης δὲ οὐδὲ τὸ αὐτὸ σύνθημα ἐκέλευε τὸν περίοδόν τε καὶ φύλακα ἔχειν, ἀλλὰ ἕτερον ἑτέρῳ δεδόσθαι, ἵνα ὁ μὲν πρῶτος ἐρωτηθεὶς ἀποκρίνηται κ. τ. λ.* XXVII, 9 *ὅπως ἀληθῶς τὸ παράγγελμα μετὰ φόβου ᾖ, — ἐπλήγη τις.* XXVIII, 7 *ἃς ἔδει ἐν καιρῷ τινι ὑφαφθῆναι, ἵνα αἱ πύλαι ἐμπρησθῶσιν.* XXXI, 23 *εἰς βιβλίον γράψαντες ὡς λεπτότατον —, ἵν' ὡς εὐογκοτάτη γένηται ἡ ἐπιστολή.* — Optativus paulo rarior est: cf. XXIII, 10; XXIV, 5; XXIX, 8.

7) Infinitivus saepius apposito articulo cum praepositione coniunctus loco enuntiati usurpatur. Ita

a) pro enuntiato causali ponitur: XVI, 11 *διὰ τὸ λείαν ἄγοντας αὐτοὺς βραδυτέρως πορεύεσθαι.* XXVI, 7 *διὰ τὸ πλῆθος ἀποβαλεῖν.* XXXI, 33 *παρὰ τὸ μὴ εὐθὺς ἀνοῖξαι καὶ ἀναγνῶναι.* XXXVI, 1 *διὰ τὸ ὑποτοξεύεσθαι.* — Simplex dativus sic occurrit XXII, 5 *τῷ πολλοὺς ἅμα φυλάσσειν.* —

b) Finalis enuntiationis vice usurpatur: VIII, 2 *πρὸς τὸ μὴ εἰςπλεῖν καὶ τὰ εἰςπλεύσαντα μὴ δύνασθαι ἐκπλεῦσαι.*

XX, 1 *εἰς τὸ τούτων μηδὲν κακουργεῖσθαι.* XXV, 1 *πρὸς τὸ γνωρίζειν μᾶλλον τοὺς φίλους.* XXXIII, 3 *πρὸς τὸ μὴ ἐμπίπρασθαι.*

c) Loco enuntiati condicionalis adhibetur: XXII, 5 *ἐν γὰρ τῷ δι' ὀλίγου φυλάσσειν — ἥκιστ' ἄν τις δύναιτο πρᾶξαί τι πρὸς τοὺς πολεμίους.*

d) Temporalis enuntiati vicem agit: XXIV, 13 *πρὸ τοῦ πλείους εἰςελθεῖν.*

8) Eodem modo saepe apud Aeneam adiectivorum vel participiorum neutra pro substantivis usitata occurrunt: cf. e. gr. prooem. 4 *τὰ ὑπάρχοντα εἰς ταὐτὸ — καταστήσαιεν ἄν.* — ib. *εἰς τὸ ἔσχατον ἀφικόμενοι.* — I, 3 *τὰ τειχήρη καὶ πολιτοφυλακήσοντα.* IV, 2 *κατὰ τὸ ἐρημότατον τῆς πόλεως καὶ πύλας οὐκ ἀνοιγομένας ἔχον.* — 5 *τὰ ἀποστελλόμενα ἐκ τῆς πόλεως.* VIII, 2 *τὰ ψαμμώδη καὶ στερεά.* 4 *τὰ ἱππάσιμα τῆς χώρας.* XI, 3 *τῶν νεωρίων τὰ σαθρά.* 15 *τὸ συμφέρον αὐτοῖς.* XV, 5 *τὰ ὑψηλὰ τῶν χωρίων.* XXII, 26 *ἐν τοῖς ἀκινδυνοτέροις.* ib. *ἀκινδύνων καὶ εἰρηναίων ὄντων* al.

9) De praepositionum usu haec videntur notanda:

a) *ἕνεκα* plerisque quidem locis eadem vi, qua apud Romanos causa c. gen. coniunctum, in usum vocatur. XV, 7 vero praepositionis *διά* c. acc. coniunctae vice adhibitum videtur: *ἀπιόντα — εἰς τὴν πόλιν πεφυλαγμένως ἀναχωρεῖν πολλῶν τε ἕνεκα καὶ μάλιστα ἐνέδρας φοβούμενον πολεμίων.* — XXXI, 21 propria quidem, sed praegnanti, ut ita dicam, vi occurrit: *ὑποψίας δ' ἕνεκα καὶ ἄλλα ἐν μέσῳ τοῦ κύκλου τρυπῆσαι* (vernacula: „zur beseitigung etwaigen verdachtes“ u. s. w.).

b) *ἐπί* c. genet. coniunctum bis significat, quem ad finem aliquid fiat: IV, 7 *ἵν' ἓν ἐπὶ παραδείγματος καὶ μαρτυρίου καθαροῦ προςλέγηται.* XXVIII, 4 *ἐφ' ἑνὸς ἔργου,* quod falso interpretes contendunt significare „anstatt[45]“. Eandem

[45]) cf. de his locis cap. II, A, I et B, I, 2.

ac hic vim praepositio *ἐπί* habet Plat. Protag. 358 A (§ 118): *αἱ ἐπὶ τούτου πράξεις ἅπασαι, ἐπὶ τοῦ ἀλύπως ζῆν καὶ ἡδέως.*

c) *μετά* c. gen. coniunctum saepissime, *σύν* raro exstat: XI, 8 *σὺν τοῖς ὅπλοις.* — XVII, 1 *σὺν ὅπλοις.* idem. 2; XXIII, 8. — *μετά* e. gr. invenitur III, 5; IV, 11; X, 11; 15; 20; 21; 22; 24; XII, 2; XVI, 4; XVII, 1; 4; 6; XVIII, 18; XXII, 23; XXIV, 5; 7; 9; XXXVIII, 3; XXXIX, 5, bis; et saepius[46]).

d) *παρά* c. acc. coniunctum Aeneas compluribus locis causali vi adhibet: XXIV, 2 *ἅπερ δυςμνημόνευτά ἐστι παρὰ τὰ νομιζόμενα ἑκάστῳ ἔθνει* (Med. *ἔθει*) *τῶν ἀνθρώπων*[47]). 14 *καὶ παρὰ τοῦτο ἐγένετο τὴν πόλιν μὴ ἀντικαταληφθῆναι.* XXXI, 33 *παρὰ τὸ μὴ εὐθὺς ἀνοῖξαι καὶ ἀναγνῶναι τὰ γεγραμμένα διεφθάρῃ.* Quibuscum cf. Thuc. I, 141 *ἕκαστος οὐ παρὰ τὴν ἑαυτοῦ ἀμέλειαν οἴεται βλάψειν.* — Isocr. Archid. § 52 *παρὰ τοῦτον γίγνεται ἡ σωτηρία.* —

e) *περί* c. acc. coniunctum saepius in comment. poliorc. obvium est translata vi, ut „de“ praepositio apud Latinos tropice adhibita, vernacula vertendum „hinsichtlich, in betreff.“ cf. XV, 7 *περὶ βοήθειαν ἀφύλακτον τοιόνδε συνέβη.* XVII, 1 *εὐλαβεῖσθαι τὰς μετ' ὄχλου ἐξόδους — ὅσαι τε ἱεροποιίαι — ἐκπέμπονται, ἔτι καὶ περὶ τὰς πανδήμους νεωλκίας.* XVIII, 1 *περὶ τὰς βαλάνους πολλὰ σφάλματα γίγνεται.* — Cf. praeterea XXI, 1; XXII, 7; XXIV, 3; XXVIII, 6.

10) Priusquam finem faciamus huius partis, iam singula quaedam minoris momenti commemorare placet.

Ut saepius apud omnes scriptores, ita apud Aeneam quoque quartus substantivorum nonnullorum casus verbis ex eadem vel simili radice derivatis apponitur: cf. XI, 7 *τὴν δευτέραν ἐπίθεσιν ἐπιτίθεσθαι.* XV, 8 *κάλλιστον ἔργον εἰργάσαντο.* XVI, 14 *τὰς μακρὰς βοηθείας βοηθεῖν.* XVII,

---

[46]) Cf. de praepos. ratione Tych. Mommsenii, librum, qui inscribitur „Entwickelung einiger gesetze fuer den gebrauch der griech. praepositionen.“ Francof. ad M. 1874.

[47]) Cur haec retineam, exponetur cap. II, A, I.

5 *πέμποντες λαμπρὰς πομπάς*. XXII, 6 *μακρὰς* (sc. *φυλακὰς*) *φυλάσσειν*. XXIV, 11 *οὐ τὰς ἐνεδρευομένας ὁδοὺς ἐπορεύετο*. XXXII, 17 *τρυπήματα τρυπῆσαι εἴκοσι καὶ τέτταρα*. XXXVII, 2 *τειχίον τειχίσαι ... ὡς ἰσχυροτάτων λίθων*.

ὅπως coniunctio (ea vi „dass, damit) post verba *ἐπιμελεῖσθαι*, *προνοεῖν* similia modo cum coniunctivo modo cum futuri temporis indicativo conectitur: cf. prooem. 3 *πρόνοιαν ἑκτέον — ὅπως μηδὲν φανῶσι σφαλέντες*. — XVIII, 1 *ἐπιμελητέον — ὅπως καλῶς κλείωνται*. — Indic. fut. exstat e. gr. XXIV, 1; XXVII, 13. — *ὡς* pro *ὅπως* usitatum est XXVII, 5 *ὡς οὖν ἧσσόν τι τοιοῦτο γένηται, χρὴ παρηγγέλθαι*. —

πονεῖν apud Aeneam significat: „sustinere, ferre posse“, cf. I, 5 *σώματα τὰ δυνησόμενα μάλιστα πονεῖν*. III, 2 *τοὺς δυναμένους τοῖς σώμασι πονέσαι* (ubi Hercherus et Hertlinus iniuria *πονέσαι* delent); — *πονεῖσθαι* „urgeri“ vel „laborare“: I, 5 *εἰς τὰς τῶν πονουμένων βοηθείας*. XXXVIII, 2 *ἐπικουροῦντας ἀεὶ τῷ πονουμένῳ μέρει*. Activum hac notione non occurrit in comment. poliorc.

ὁρμᾶσθαι apud Aeneam cum *ἐκ* praepositione coniungi solet, ita ut significetur, unde quis proficiscatur: pr. 1 *ἐκ τῆς αὑτῶν ὁρμωμένοις χώρας*. IV, 1 *Χαλκὶς — κατελήφθη ὑπὸ φυγάδος ὁρμωμένου ἐξ Ἐρετρίας*. XVI, 18 *ἐκ τῶν χωρίων τούτων ὁρμώμενον*. — Activum autem Aeneas consuevit ita adhibere, ut indicet (cum praepos. *εἰς* vel *πρός* al. copulatum) quo quis contendat: cf. XVI, 5 *ἐπὶ λεηλάτησιν καὶ πλεονεξίαν ὁρμῆσαι*. XVII, 3 *πρὸς τὰς εὐχάς τε καὶ τὸν βωμὸν ὥρμησαν*. XXVIII, 7 *πρὸς τὸ σβεννύειν τῶν Παριανῶν ὁρμησάντων*. XXIX, 10 *ἐπὶ πύργους ὥρμησαν καὶ πύλας*. —

Verbi *κλείω* perf. pass. Aeneas ita videtur conformasse: *κέκλεισμαι*: neque enim est, cur Hercherus duobus illis locis, ubi haec forma exstat in cod. Med. XVIII, 16 (ibi *κεκλεσμένην* traditum est) et XXVIII, 6, formam *κέκλειμαι* praeferat.

Hiatum Aeneas evitare non studet: ne ibi quidem, ubi prioris vocis postrema littera omissa vocalium concursus tolli poterat, hoc semper factum est: cf. XVIII, 11 *δέ ἐξηρέθη*. —

12 *ἔπειτα ἀνέσπασαν.* — 15. *τὴν δὲ ἀγαθίδα ἐπορεύθη ἀπιλάσσων* etc. Voculae *δέ* vocalis omittitur his locis (imprimis sequente littera ε): VII, 2; X, 2; 13; 22; 23; XI, 14; 15; XIX, 1; XXII, 14; 15; 19; 24; 28; 29; XXIII, 6; XXIV, 6; 16; XXV, 2; XXVI, 7; XXVII, 4; 12; XXVIII, 4; XXIX, 6; 9; XXXI, 3; 6; 7; 8; 15; 20; 21 bis; 29; 30; XXXII, 2; XXXVII, 3; 6; 7; 8; XXXVIII, 8; XXXIX, 7: alibi retinetur.

Nec semper Aeneas idem vocabulum ex haud magno intervallo bis ponere evitat: sic e. gr. prooem. 1 bis *χώρα;* I, 5 *πονεῖν* et *πονουμένων;* II, 3 *ὄντας* bis; XV, 9 bis *τὴν χώραν;* XXXI, 27 *ἐγένετο δὲ καταφανής* et *καταφανὴς ἐγένετο* invenitur et saepius alibi similia.

Sed haec hactenus. Diligentius de sermone Aeneae quaerendum putavi, quod nemo adhuc, qui illi scriptori tranctando operam dedit, tam accuratam rationem generis dicendi habuit, quam debebat, sed nonnulli eum secundum eas generales leges et rationes, quas in aliis iudicandis secuti erant, facile tractari posse et, quae cum illis non consentirent, mutanda aut delenda esse consuerunt. At sua cuique scriptori est natura, suus cuique sermo, quae penitus cognosse debent ii, qui temere de quoquam iudicare nolunt.

D. De fontibus, unde hauserit Aeneas.

Quoniam ignoramus, num ante Aeneam exstiterint, qui de re mititari peculiariter scripserint, (nam Aelianus c. I, 2 hunc primo loco nominat) unde ille tacticam suam doctrinam, ut ita dicam, hauserit demonstrari non potest: omnino autem, ut supra iam diximus, Aeneas non tam librorum studio quam ipsis bellis res tacticas videtur didicisse. Iphicrates quae nova instituerit, se non ignorare Aeneas XXIV, 16 demonstrat: forsitan ipse eo duce priore tempore stipendia meruit. — Praeterea vero id tantum indagare possumus, unde exemplorum historicorum, quibus opus suum illustravit, particulam sumpserit. Qua in quaestione plurimum possemus proficere, si et Aeneas semper annotasset, unde quod-

que exemplum petivisset, id quod numquam fecit, et omnia eius opera nec sola illa quadraginta capita libelli poliorcetici ad nos pervenissent: quae cum ita sint, pauca explorari possunt. Ac mirum quidem videtur eum, qui Thucydidi legendo tantopere operam navaverit, ut stilum suum Thucydideo multis ex partibus similem reddiderit, non plura exempla ex illius opere hausisse: nam certo iudicio unum illud exemplum, ubi de irruptione a Thebanis in Plataeensium oppidum facta agitur II, 3—7 ad Thucydidem revocari potest, qui II, 3—4 idem narrat. Ad eundem Koechlyus[48]) redire putat, quae XXXII et XXXIII cap. praecipiuntur ab Aenea; composita enim illa esse secundum Thuc. II, 75—78, ubi de Plataeis a Lacedaemoniis obsessis agitur. Et similia quidem Aeneas XXXII, 2 praescribit iis, quae Thucydides II, 75 extr., similia XXXII, 5 iis, quae ille ib. 76 extr. a Plataeensibus gesta narrat (etsi tota machinatio hoc loco paulo alia est): sed praeterea Thucydidea narratio ab Aeneae praeceptis diversa praebet. *δίφθεραι* enim et *δέρρεις* apud Thucydidem alia vice funguntur quam apud Aeneam *σάκκοι ἀχύρων* et *ἀγγεῖα ἐρίων*. Cum vero illae rationes oppugnandi et defendendi, de quibus Thucydides tradit, sine dubio satis frequenter illis temporibus usu venerint, non est, quod militarem scriptorem, nedum Aeneam, qui certe similia permulta cognita habuit, certam aliquam narratiunculam, paucis ex partibus similem praeceptis ab ipso datis, secutum esse credamus. — Rectius videtur Casaubonus iudicare[49]), quod XXXVIII, 2 legitur *τὸ γὰρ ἐπιὸν οἱ πολέμιοι μᾶλλον φοβοῦνται τοῦ ὑπάρχοντος καὶ παρόντος ἤδη* ex Brasidae orationis, quae invenitur apud Thucydidem V, 9, verbis *τὸ γὰρ ἐπιὸν ὕστερον δεινότερον τοῖς πολεμίοις τοῦ παρόντος καὶ μαχομένου* fluxisse ratus: nam procul dubio Aeneas meminit Thucydidis verba.

Saepius quam Thucydide Aeneas Herodoti historia usus est: quae enim narrat XXXI, 14 ex Herod. VII, 239, ubi

---

[48]) Cf. edit. pag. 179.

[49]) Cf. edit. Orell. pag. 284.

idem ille de Demarato tradit, XXXI, 25—27 ex illius VIII, 128; XXXI, 28—29 ex Herod. V, 35; XXXVII, 6—7 ex eiusdem IV, 200 petita sunt.

Praeter Thucydidem et Herodotum semel fortasse Aeneas Xenophonte usus est, XXVII, 11, ubi simillima narrat iis, quae Xenophon Anab. II, 2, 20 de Clearcho testatur, nisi forte quis maiorem Polyaeno fidem habet, qui in Strategicon libr. III, 9, 4 Iphicratem huius doli auctorem nominat, ea, ut videtur, de causa, quod callidissimo illi imperatori multa eiusmodi inventa vindicari solebant, quae quibus revera tribuenda essent, ignorabatur. Descripsisse autem Polyaenum Aeneae locum, vel inde conspicitur, quod lacunam quoque ex Aenea sumpsit: . . . *ἐκήρυξεν ὃς ἂν μηνύσῃ τὸν ἀφέντα τὸν ὄνον ἐς τὰ ὅπλα· ὡς δὴ Πανικοῦ γεγονότος.*

E. Aeneae opera quibus cognita fuerint.

Tacticos Aeneae commentarios haud parvi a veteribus aestimatos esse inde apparet, quod primus ex militarium scriptorum numero Aeneas ab Aeliano in tact. theor. cap. I, nominatur: *ἐξειργάσαντο δὲ τὴν θεωρίαν Αἰνείας τε διὰ πλειόνων ὁ καὶ στρατηγικὰ βιβλία ἱκανὰ συνταξάμενος κ. τ. λ.* Ibidem Aelianus testatur Cineam Thessalum, quem eundem esse ac Pyrrhi regis amicum veri est simillimum, opera Aeneae excerpsisse: ipsa autem illa epitome deperiit. Nec multo post Philo[50]) mechanicus, quem inter annos ducentesimum quinquagesimum et ducentesimum a. Chr. natum vixisse Koechlyus putat[51]), quique quinto libro de machinis construendis atque de oppidis et defendendis et oppugnandis egit, Aenea videtur usus esse, cum de nonnullis rebus egregie cum eo consentiat. Ita ea, quae Philo praecipit in pag. 91 fere media: *πρὸς δὲ τὰς μεταλλεύσεις ὀρυκτέον ἐστὶν*

[50]) Cuius quartus et quintus liber primum editus est a Thevenotio in „Mathematicorum veterum" ed. pag. 49—104 Paris. 1693. — Postea edidit quartum librum Herm. Koechlyus cum Guil. Ruestowio in libri inscripti „Griechische kriegsschriftsteller" Lips. 1853. vol. I.

[51]) Cf. edit. pag. 199.

ἀνὰ μέσον τοῦ τείχους καὶ προτειχίσματος ἱκανὴν τάφρον ἰσήλιχον κατὰ βάθος τῶν θεμελίων τὸ κατὰ γῆς, ἵνα φανεροὶ γιγνόμενοι οἱ ὑπορύττοντες ῥᾳδίως διαφθαρῶσι καὶ μηκέτι τῷ τείχει πλησιάζωσι ex comment. poliorc. XXXVII, 1; pag. 92 (prope init.): *τῷ κριῷ τῷ ἀντικατασκευασθέντι τούτῳ τύπτοντες ἄνωθεν τῆς ἐσχάρας τὸ μηχάνημα καὶ τὸν κριὸν — συντρίβομεν ἀχαλεπῶς* ex XXXII, 7 fluxisse videntur; pag. 93 ineunte: *ἐκκοιτίας τε καὶ ἐφοδίας τὰς προςηκούσας ποιητέον, αἷς χρήσονται ξυλίνοις λαμπτῆρσιν, ἵνα ὑπὸ τοὺς πόδας μόνον φαίνωνται καὶ μὴ καταφανεῖς ποιῶσι τοὺς ἐφοδεύοντας τοῖς ὑπεριναντίοις* ex XXVI, 3; pag. 93 media *ὀρθῶς δὲ ἔχει καὶ κατά τινας τόπους ἔνδοθεν ἀντιταφρεύειν καὶ κρύπτειν τὰς τάφρους, ἵνα ἐὰν πεσόντος τοῦ τείχους εἰςβιάζωνται οἱ πολέμιοι, πολλοὶ δι' ἄγνοιαν αὐτῶν φθείρωνται* fortasse ex XXXIX, 1; *δεῖ δὲ καὶ τὴν ταχίστην καθ' ὃ ἐὰν πέσῃ τὸ τεῖχος χάρακα θεμένους καὶ φορμοὺς γῆς ἐμπλήσαντες* (sic) *προτείχισμα κατασκευάσαι* ex XXXII, 12; *καὶ οἷς ἂν ἐπιστῇ τῶν στρατιωτῶν ἢ τῶν πολιτῶν ὀρθῶς ἔχει μεταλλάσσειν αὐτῶν τὰς ἐκκοιτίας καὶ τὰς φυλακάς, καὶ μὴ εἰδέναι αὐτοὺς καθ' ὃν τόπον φυλάσσουσι τὸ τεῖχος, ἵνα μὴ δύνωνται προδοῦναι τοῖς πολεμίοις τὴν πόλιν* ex XXII, 7; pag. 93 (prope finem): *ἔστι δὲ τὰ συνθήματα τοιαῦτα· ἀπαιτήσαντα δεῖ τὸ σύνθημα ἀφελέσθαι τὴν κασίαν* (sic pro *καυσίαν*) *ἢ τὸν πίλον* (sic) *ἢ τὴν περικεφαλαίαν, ἐὰν ἔχῃ, ἢ πρόκωπον τὸ ἐγχειρίδιον ποιῆσαι ἢ τὴν δέξιαν ἐμβαλεῖν ἢ τῆς χλαμύδος ἐπιλαβέσθαι* ex XXV, 3—4; quae statim sequuntur *ξένα δὲ καὶ διπλᾶ δοτέον ἐστὶ τὰ συνθήματα, ἵν' ἐργωδῶς οἱ πολέμιοι καταμανθάνωσιν αὐτά*, ea respicere puto Aeneae praeceptum XXIV, 15. Porro Philonis praecepta de litteris secreto mittendis in pag. 102 (prope finem): *ἢ ἀνὰ μέσον τῶν ὑποδημάτων τοῦ ἐμβλήμματος καὶ κασύματος ῥαφείσης* ex comment. poliorc. XXXI, 4; sequentia *ἢ εἰ σκυτίνων βούλεται γραφέντων εἶτα εἰς λήκυθον καινὴν σύμμετρον τῇ κύστῃ τεθείσης, εἶτα φυσηθείσης καὶ ἀποσταλείσης πρὸς τὸ ἔσω στόμα κολλῇ καταλειφθέντας καὶ ἐλαίῳ ἐγχυθέντος ἵν' ἄδηλος ἡ ἐπιστολὴ γένηται τοῦτον τὸν τρόπον εἰςπέμπειν. ὅγε λαβὼν τὴν λήκυθον ῥαδίως* (sic) *γνώσεται τὰ γεγραμμένα* ex XXXI, 10—14 procul dubio hausta sunt. Profitetur

ibidem Philo se proprio libello de litteris occulte mittendis acturum (*πολλοὶ δὲ καὶ ἄλλοι τρόποι εἰσὶ τῶν κρυφίως ἀποστελλομένων γραμμάτων ὡς δηλώσομεν ἐν τῷ εἴδει τῶν* (pro *τῷ*) *περὶ ἐπιστολῶν τῶν κρυφαίως ἀποστελλομένων*), nec abest suspicio, plura etiam eum illic ex variis Aeneae de hac re praeceptis sumpsisse.

Non quidem poliorcetico commentario sed *Παρασκευαστικῷ* illo, quod saepius Aeneas commemorat, Polybius X, 44 utitur, ubi particulam quandam illius libri conservatam invenimus. Polybium reliqua quoque Aeneae scripta nosse per se patet ex l. l. verbis.

Onosandrum[52]) philosophum, qui *Στρατηγικόν* suum Q. Veranio, qui Romae anno undequinquagesimo p. Chr. n. consulatu functus est, dedicavit, ignorasse Aeneam cum per se parum credibile sit, cap. XXVI Onosandri, quod sic legitur[53]): *Τὸ δὲ παρασύνθημα μὴ διὰ φωνῆς λεγέσθω, ἀλλὰ διὰ σώματος γιγνέσθω, ἢ νεύματι χειρὸς ἢ ὅπλων συγκρούσει ἢ ἐγκλίσει δορατίου ἢ παραφορᾷ ξίφους· ἵνα μὴ μόνον γενομένης ποτὲ ταραχῆς, πιστεύσωσι τῷ λεγομένῳ συνθήματι, (τοῦτο γὰρ δύνανται καὶ πολέμιοι καταλαβέσθαι πολλάκις ἀκούοντες) ἀλλὰ καὶ τῷ παρασυνθήματι. χρησιμώτατον δέ που τοῦτο καὶ πρὸς τὰς ἑτερογλώσσους συμμαχίας τῶν ἐθνῶν· οὔτε γὰρ λέγειν οὔτε ξυνιέναι δυνάμενοι φωνῆς ἀλλοτρίας, αὐτῷ τῷ παρασυνθήματι κρίνουσι τό τε φίλιον καὶ πολέμιον. Διδόσθω δὲ ταῦτα καὶ μὴ μάχεσθαι μέλλουσιν, ἐν ταῖς παρεμβολαῖς, πρὸς τὰς ἀδήλους ταραχάς,* videtur refutari. Nam et in universum eadem fere Onosander atque Aeneas XXV cap. praecipit, et, ut hic, graviter premit ad terrores vel perturbationes evitandas *παρασυνθήματα* utilissima esse: cf. Aeneae XXV, 1 verba *ἔνιοι δὲ παρασυνθήμασι χρῶνται τῶν τε πανείων ἕνεκα καὶ πρὸς τὸ γνωρίζειν μᾶλλον τοὺς φίλους* cum Onosandri illis *ἵνα μὴ μόνον γενομένης ποτὲ ταραχῆς πιστεύσωσι τῷ λεγομένῳ συνθήματι* —

---

52) Cf. Koehlyum l. l. vol. II, a pag. 84—85.

53) Cf. edit. Nicolai Rigaltii. Paris. 1599 et 1600. — et edit. M. Nicolai Schwebelii Norimbergae 1762.

ἀλλὰ καὶ τῷ παρασυνθήματι et *διδόσθω δὲ ταῦτα — πρὸς τὰς ἀδήλους ταραχάς*. Deinde etiam verbis *χρησιμώτατον δέ που τοῦτο καὶ πρὸς τὰς ἑτερογλώσσους συμμαχίας τῶν ἐθνῶν κ. τ. λ.* videtur respicere, quae Aeneas XXIV, 1—2 exposuit. Veri igitur simillimum est Onosandrum hic Aeneam secutum esse, etsi pro certo affirmari nequit.

Nec magis diiudicari potest, num Aelianus Aeneae praecepta imitatus sit, quoniam librum ab Aenea de acie instruenda conscriptum non accepimus. Accurate cognitos se habuisse Aeneae commentarios Aelianus ipse l. supra l. et III extr. (*ὅρον δὲ αὐτῆς* (sc. *τῆς τακτικῆς*) *ἔθεντο Αἰνείας μὲν ἐπιστήμην εἶναι πολεμικῶν κινήσεων*) profitetur.

Sextus Iulius Frontinus, qui inde a Titi imperatoris temporibus usque ad Traianum vixit et praeter quattuor Strategematicon libros, qui ad nos pervenerunt, opus, quod deperiit, de Romanorum re militari, ut ipse in Strategimaticon prooemio testatur[54]), composuit, num Aenea usus sit, vix poterit ostendi. Certe prorsus idem Frontinus IV, 7, 44 a Pisistrato factum narrat, quod Aeneas IV, 7—11, eodemque modo; sed cum inter permagnam exemplorum multitudinem, etsi praecipuam Romanorum historiae rationem habet, nullum praeter illud reperiatur ex Aenea petitum, videtur ne hoc quidem Frontinus ex Aenea ipso, sed ex Pompei Trogi historiis Philippicis sumpsisse. Nam in Iustini epitoma II, 8 de eodem facinore agitur, cuius notitiam fortasse Pompeius Trogus Aeneae debuit, quamquam etiam ex eodem quamvis ignoto fonte, unde Aeneas, potuit haurire.

Certius iudicium de Polyaeno ferri licet, qui anno p. Chr. n. centesimo sexagesimo secundo[55]) Strategicorum octo libros conscripsit, et ut posset „undique decerptam fronti praeponere olivam", Aeneam quoque in auxilium vocavit: nam quae Aeneas XXIV, 3—14; XXVII, 11; XXXIV, 1

[54]) Cf. Francisci Oudendorpii ed. alter. Lugd. Bat. 1779 pag. 1.
[55]) Cf. Woelfflini edit. praef. pag. VI.

scribit, eadem Polyaenus III, 14; ib. 9, 4; VI, 3 (pag. 219, vers. 15—19 ed. Woelffl.) praebet. Aliter se habet res, quod attinet ad comment. poliorc. XVIII, 8—11, quae cur a Polyaeno II, 36 respici iniuria suspicatus sit Casaubonus, supra iam in pag. 19—20, annot. 18 exposuimus. Num Polyaenus, quae II, 2, 10 narrat, ea ex Aeneae XXVII, 7—9 petiverit, dubium videtur: nam primum hoc a Clearcho, non ab Euphrata factum esse narrat, deinde, qua est homo narratiuncularum cupidissimus in eiusmodi rebus loquacitate, non fuisse eum omissurum puto ea, quae Aeneas XXVII, 9 praebet. Quae II, 20 narrat Polyaenus, non ex comment. poliorc. XXXI, 14, sed ex ipsius Herodoti VII, 239 hausta esse, inde elucet, quod Demarati, Xerxis, Spartiatarum nomina affert, quae omnia apud Aeneam desunt

Omnium, quantum cognoscere possumus, maxime Aenea usus est Sextus Iulius Africanus, Emmai oppidi episcopus, qui tertio post Chr. n. saeculo ineunte novem libros *Κεστῶν* composuit[56]), quod nomen de Veneris zona, cui magicam quandam vim attribuebant veteres, desumptum egregie consentit cum natura operis referti praeceptis cuiusvis generis, nonnumquam superstitionum plenissimis, quae ad medicinam, artem physicam, militarem al. spectant: inter quae longa Aeneani commentarii epitome invenitur, quam nuperrime Hercherus in appendice edit. comment. poliorc. maioris (pag. 121—127) edidit. Textus huius epitomes, ut omnium Cestorum librorum, est corruptissimus. Plerumque Iulius Africanus ipsa Aeneae verba recepit. Excerpsit autem haec[57]). Quae

---

[56]) Cf. de his rebus Koechlyum l. l. vol. II, b. pag. 6 sq. Edidit Cestos Thevenotius in Mathem. veter. collectione Paris. 1693 pag. 275—316.

[57]) Koechlyus l. l. pag. 9 falsos numeros capitum Iulii affert: cf. Mathem. vet. ed Thevenot. pag. 302 sq. Praeterea fallitur Koechlyus ratus Iulii cap. *μδ'* (Koechl. per errorem *μέ*), cui inscribitur *Αὐτόματον πῦρ ἅψαι*, ex Aeneae cap. XXXV derivatum esse, quocum nihil loco Africani commune est, nisi quod ibi quoque de igni incendendo praecipitur: tota vero praeceptorum ratio longe diversa est.

Iulius Africanus cap.	XXXVIII	praebet, fluxere ex Aeneae cap.	XXXIV.
„ „ „	XLV	„ „ „ „	XXXIII, 1.
„ „ „	XLVI	„ „ „ „	XXXIII, 4.
„ „ „	XLVIII	„ „ „ „	XXII, 24—25.
„ „ „	XLIX	„ „ „ „	XXVIII et XXIX, 12.
„ „ „	L	„ „ „ „	XXIX, 4–10.
„ „ „	LI	„ „ „ „	XXXI, 4–5.
„ „ „	LII	„ „ „ „	ib. 17—19.
„ „ „	LIII	„ „ „ „	„ 32.
			23.
			14.
			33.
„ „ „	LIV	„ „ „ „	XXXVII, 1–5.
„ „ „	LV	„ „ „ „	„ 9.
„ „ „	LVI	„ „ „ „	XXXIX, 1—2.
			„ 3--4.
„ „ „	LVII	„ „ „ „	XL, 1.
			„ 4—5.
„ „ „	LVIII	„ „ „ „	„ 6—7.

Flavium Vegetium Renatum, quarti p. Chr. n. saeculi exeuntis scriptorem[58]), manifesto quidem in epitoma sua rei militaris imitatum Aeneae praecepta non deprehendi: nec tamen temere mihi videor suspicari fortasse eum in libr. quarti cap. 23 Aeneae cap. XXXII respicere. Nam verba: „Adversum arietes etiam vel falces plura sunt remedia. Aliquanti centones et culcitas funibus chalant et iis obponunt locis, qua caedit aries, ut impetus machinae materia molliore fractus non destruat murum. Alii laqueis captos arietes per multitudinem hominum de muro in obliquum trahunt et cum ipsis testudinibus evertunt.“ — „Interdum bases columnaeque marmoreae vibrato impetu iaciuntur e muris arietesque confringunt“ cum Aeneae XXXII, 3—5; verba: „Quodsi tanta vis fuerit, ut murus arietibus perforetur et, quod saepe accidit, decidat, salutis una spes superest, ut destructis domibus alius intrinsecus murus addatur, hostesque intra binos parietes, si penetrare temptaverint, perimantur“, cum § 12

[58]) Cf. Caroli Langii edit. (Lipsiae 1869), praef. pag. VI—IX.

cap. Aen. egregie consentiunt. Similia quoque Vegetius IV, 19 in. praecipit iis quae Aeneas XXXII, 8 extr.

Anonymus Byzantinus, qui Iustiniano imperante[59]) commentarium suum tacticum scripsit, Aeneam videtur cognosse: nam VIII, 6, ubi de *πυρσειῶν* rationibus agens dicit *ὥςπερ παρά τισι τῶν ἀρχαιοτέρων εἴρηται*, veri est simillimum eum ante omnes Aeneam, quem in *Παρασκευαστικῇ βίβλῳ* uberius de hac re egisse scimus, intellegere; deinde XIII, 16 verbis *ῥητέον δὲ πρότερον, ὅπως οἱ πρὸ ἡμῶν κατὰ χελωνῶν ἠγωνίζοντο· ποτὲ μὲν ὕδατα ἄνωθεν θερμὰ χέουσιν αὐταῖς, ποτὲ δὲ πίσσαν διαλυθεῖσαν πυρὶ, ἔστι δὲ ὅτε καὶ πυρὶ ταύτας ἀνάπτουσι,* inter alios Aeneas quoque, qui similia XXXIII, 1 praecipit, demonstrari videtur. Praeterea quae Anonymus XIII, 8 fieri iubet verbis comment. poliorc. XXXVII, 1—4; XIII, 13 praeceptis Aeneae XXXII, 12; XIII, 25 Aeneae XXXIII, 1; XIII, 27 comm. poliorc. XXXII, 5 similia sunt. Certius profecto de hac re iudicare possemus, si ipsi poliorcetici illius Anonymi commentarii, quos XI, 2; XIII, 15 commemorat, conservati essent.

Nec melius se habet res, quod pertinet ad alterius Anonymi, non immerito a viris doctis oblitterati et neglecti, commentarium poliorceticum sic inscriptum: *Ὅπως χρὴ τὸν τῆς πολιορκουμένης πόλεως στρατηγὸν πρὸς τὴν πολιορκίαν ἀντιτάττεσθαι καὶ οἵοις ἐπιτηδεύμασι ταύτην ἀποκρούεσθαι,* qui editus est a Thevenotio in Math. vett. pag. 317—330; 361—364. Habet quidem hic Anonymus in pag. 320 media similia iis, quae Aeneas I, 5; pag. 323 extr. et 324 in. similia iis, quae Aeneas XXXII, 3—5 praebet; sed cum nusquam alibi inveniatur, quod Aeneam respiciat, aliunde illa quoque, non ex ipso Aenea petivisse videtur, quippe quo, si ipsum cognitum habuisset, multo saepius fuisset usus. Est enim ille scriptor nugax aliquis et ineptus Graeculus, qui non tam ut re vera suas proprias rationes defendendorum oppidorum explicaret, quam ut praeceptis exemplisque un-

[59]) Cf. Turicensium edit. vol. II, b, pag. 37.

dique corrasis, quam doctus esset, demonstraret, calamo mihi videtur abusus esse. Nam profecto exempla illa ex Iosepho, Arriano aliis historicis petita tam loquaciter profert, ut minima ex parte illustret praecepta sua, nullo ordine inter se confusa plerumque, immo ipse narrationum longitudine et rebus prorsus a proposito alienis allatis conexum perturbet: quod vel maxime conspicitur in iis, quae de Alexandro exponit in pag. 328—330 et 361—362 editionis Thevenotianae.

F. De memoria commentarii poliorcetici.

Quinque libris manuscriptis Aeneae liber traditus est. Archetypus est Mediceus membranaceus plut. LV, 4 saec. XI. secundum Hercherum[60], X. Bandinii[61] iudicio. Ex Mediceo fluxere tres codices Parisini 2425, 2522, 2443 (litteris A, B, C signati). Codex littera C signatus, quo Casaubonus usus est, ab Angelo Bergicio, homine Graeco, descriptus et inter describendum passim correctus est, plura ipse Casaubonus tacite correxit[62]. De Parisino codice 2522 egit Koechlyus l. l. vol. II, b, pag. 3—4.

Vaticanum codicem, quem exstare Gesnerus affirmavit, nemo hucusque inspexit.

Medicei codicis quoniam summa auctoritas est, paulo accuratius videtur de eo agendum esse. Continet codex praeter fragmentum quoddam *ἀδέσποτον* et *ἀκέφαλον*, in quo de expeditione quadam militari agitur, undetriginta alia scripta, atque ea quidem omnia militaria praeter duo, quae vicesimum quintum et sextum locum tenent: „*Ὑποθῆκαι ἃς εἰς ὑπόμνησιν ἑαυτῶν γεγράφασι σπουδαῖοι καὶ ὠνόμασάν ἐγχειρίδιον*“ et „*Ἐξήγησις εἰς τὸ ἐγχειρίδιον.*“ Aeneae libellus post Aelianum exhibetur undevicesimo loco. Codex multis locis mutilus est. „Codicis mutilatio“, ut Lucae Holstenii verbis utar[63], „orta est, quia singulis fere singulorum auctorum libris pri-

[60]) Cf. annot. in edit. pag. 92.

[61]) Egit Bandinius de cod. Med. in „Catolog. codicum graec. biblioth. Laurent.“ tom. II. Florentiae 1768, pag. 218—238.

[62]) Cf. Hercher. praef. ed. pag. VII.

[63]) Cf. Bandin. l. l. pag. 235.

mum folium detractum est ob lemniscos miniatos": quod tamen in Aeneam non videtur cadere. Aeneae opus exhibetur inde a pag. 159—181.

In iis foliis, quae vacua relicta erant in codice, manu possessoris notae diversi temporis memoriae causa appositae inveniuntur. Quibus edocemur ineunte saeculo quinto decimo codicem in possessione Demetrii Lascaris Leontarii fuisse, qui paulo postquam die XXI mensis novembris anni 1407 Anna Lascarina Leontarina filia est nata, Thessalonica se cum suis egressum esse narrat. Novissima illarum notarum in pag. 12 scripta est mense Ianuar. anni 1450, cuius die XVI matrem suam mortuam esse (*ἀπέτισε τὸ χρεών*) Lascaris commemorat. In Italiam codex haud ita multo post videtur travectus esse, Turcis Byzantio potitis, quo facto et alios multos Graecos et viros doctos Constantinum et Andream Ioannem Lascaridas in Italiam confugisse constat.

Codex minusculis litteris exaratus est, praeter lemmata capitum. Nomina propria, quae vocamus, ut in aliis multis manu scriptis, ita in Med. quoque plerumque minuscule exhibentur: cf. IV, 1; X, 21; 22 bis; XI, 13; 14; XII, 3; XV, 8; 9; XVI, 14; XVIII, 13; XX, 4; XXI, 2; XXII, 20; XXIV, 2 quater; 13; 18; XXVIII, 5; XXXI, 24; 28; 31; 32; 34; 35 al. Accentus spiritusque exstant quidem, sed haud raro omittuntur vel falso ponuntur. Singulae voces in universum quidem inter se distinguuntur, sed saepe

a) duo vocabula in unum confunduntur. Sic imprimis praepositio cum voce, quae inde pendet, scribendo contrahitur: cf. e. gr. II, 4 *καθένα* pro *καθ' ἕνα*. III, 3 *ὑποσυμμάχων* pro *ὑπὸ συμμάχων*. Idem factum est III, 6; IV, 1; 5; V, 1; VI, 2; X, 5; 24; XI, 2; 6; XVI, 14; 21; XVII, 1; XXIII, 6; 7; XXXI, 2; 14; 35 al. — Praeterea: VI, 6 *ἔπειτα* pro *ἐπὶ τά*. — VII, 4 *μηδεὶς* pro *μὴ δίς*. — IX, 3 *ἄλλου* pro *ἀλλ' οὐ*. — X, 25 *ὡσεὶ* pro *ὡς εἱς*. — XIII, 1 *δέοιτο* pro *δεῖ οὕτω*. — XVIII, 3 *ἐξομένη* pro *ἔξω μένῃ*. — XXII, 5 *τότε* pro *τῷ τε*. — XXIV, 19 *ἀνερωτῶν* pro *ἂν ἐρωτῴη*. — XXVI, 2 *οτιοδειπνουοντος* pro *ἀπὸ δείπνου ὄντες*.

— XXXI, 18 *τονειναι* pro *τὸ ν̄ εἶναι* — ib. *ἔνεστιν* pro *εἰ ἐστιν*. — XXXVIII, 3 *θορυβούντων* pro *θορύβου τῶν*. — 4 *δεδεμένων* pro *δὲ δεόμενον*. — 8 *δισσὰς* pro *δ' ἴσας*. — XXXIX, 4 *πολυφερομένη* pro *πύλη φερομένη*.

b) unum vocabulum in complures partes discissum invenitur: cf. prooem. 3 *οὐδὲ μιᾶς* pro *οὐδεμιᾶς*. I, 3 *πολιτοφυλακῆς ὄντα* pro *πολιτοφυλακήσοντα*. — X, 25 *παρὰ τρισίν* pro *παρατήρησιν*. — ib. quater *μὴ δέ* pro *μήτε*. XI, 15 *συνελαμβάνοντο οἱ* pro *συνελάμβανον τούς*. — XVI, 4 *πόλει μιᾷ* pro *πολεμίᾳ*. — XVIII, 13 *τῇ μένω* pro *Τημένῳ*. — XXIII, 11 *κρύφαι ὡς* pro *κρυφαίως*. — XXIV, 4 *εἰς ἀγρὸν* pro *εἰςάγων*. — 11 *ἂν ὑποπτεύσας* pro *ἀνθυποπτεύσας*. — 16 *ἂν ἐρωτηθείς* pro *ἀντερωτηθείς*. — XXV, 1 *παρὰ συνθήματα* pro *παρασυνθήματα*. — XXVI, 9 *ἂν ἐγερθῇ* pro *ἀνεγερθῇ*. — XXVII, 12 *ἂν ἄρα σοι* pro *ἄνδρας οἵ*. — XXXI, 18 *τω τα* pro *ἰῶτα*. — XXXVI, 1 *τῷ τε σχει* pro *τῷ τείχει*. — XXXIX, 2 *εἴη ὅς* pro *εἰκός*.

Praeter haec Mediceus plurimis aliis mendis deformatur. Plurimae omnium corruptelae in finibus vocabulorum inveniuntur: nec vero initia mendis libera sunt: sic saepius *ὑπό* et *ἀπό* inter se confunduntur (cf. II, 5; 6; XXII, 11 al.). Alia eiusmodi sunt: X, 14 *ἴχνη* pro *λύχνα*. — 20. *τάξεων* fortasse pro *πράξεων*. — XV, 6 *βάσεις* pro *ἀναβάσεις*. — XVIII, 5 *ἔβαλεν* pro *ἐνέβαλεν*. — 20 *τιθεμένων* pro *τεθειμένων*. — XXI, 1 *χρεία* pro *ἀχρεῖα*. — XXII, 5 *ὅτ' ἂν* pro *οὐκ ἄν*. — 10 *ὅτ ἄν* pro *οὔτ' ἄν*. — 14 *πῇ ὁρμώμενον* pro *πειρώμενον*. — XXIV, 11 *βαγχίνως* pro *ἀγχίνως*. — XXXI, 12 *πώματος* pro *στόματος*. — 35 *πλοῦς* pro *Γλοῦς*. — XXXVII, 7 *ὄντος* pro *ἐντός* etc. etc.

Saepe menda dittographia, quae vocatur, orta sunt, i.e. eaedem vel similes litterae bis exaratae, ubi semel scribi debebant. Sic e. gr. XI, 12 *παλαιὸν ἐν* pro *πάλαι ἐν* (minus bene Herch. *κατέλαβεν*). — XIV, 1 *βραχύτητι* pro *βραχύ τι* (*η* ut i sonabat). — XV, 4 *τὰ μέρη καὶ ἐάν τε τὰ μέρη μέρος* pro *τὰ μέρη καὶ ἐάν τε μέρος*. — XVI, 8 *δώσουσι* pro *δῶσι*. — XVII, 1 *ΕΑΝ* pro *ΕΝ*. — 4 *ἐβουλεύοντο* pro *ἐβούλοντο*. —

XVIII, 21 τρίτ ͺν τρίτης. — XXIV, 5 verba ἐν τῇ νυκτί ex antecedentibus ἐν ῥητῇ νυκτί orta sunt. — XXVII, 2 γνώσονται γνώσονται. — XXIV, 8 καὶ κατέλαβον pro κατέλαβον. — XXVII, 15 καὶ καθαρά pro καθαρά. — XXXI, 3 βούλλῃ pro βούλῃ. — 8 post προνομὴν verba τῶν πολεμίων hic quoque scripta sunt, cum in sequenti tantum versu ponenda essent. — 15 εὐξάμενος ὅσον pro εὐξάμενος ὅν. — XXXVII, 6 ἐπεὶ ἐπεχείρει pro ἐπιχειρεῖν. — XXXVIII, 7 ἄνδρας post ἐν κοφίνοις dittographia sequentis vocis ἄνδρας irrepsit. — XXII, 28 ubi legitur πάντ' ἀντιδιδόναι παρ' οὗ ἔλαβε τὴν σκυταλίδα, Hercherus παντ ex dittographia sequentium litterarum natum esse putat: sed malim equidem cum Orellio scribi πάλιν ἀντιδιδόναι (ΠΑΛΙΝ — ΠΑΝΤ), quod bene in Aeneae usum[64]) quadrat. Sauppii emendatione p. 745 l. l. πάλιν ἀποδιδόναι non opus est.

Sed contrario quoque modo multa vitia ita explicanda sunt, ut librarii easdem (vel similes) litteras bis ponendas semel exaraverint, per haplographiam, ut ita dicam: cf. VI, 6 ὄντων τόπων pro ὄντων τῶν τόπων. — X, 6 προύς pro πρὸς οὖς. — παρῆσθαι ib. 9 pro παραιρεῖσθαι (η et ει pariter pronuntiabantur). — XI, 5 ἐπιθεμένοις pro ἐπιτιθεμένοις. — XII, 5 ἐπαγόμενοι et εἰςάγοντος pro ἐπαγαγόμενοι et εἰςαγαγόντος. — XVI, 6 μὲν μαχήσῃ pro μὲν μὴ μαχήσῃ. — XVIII, 5 περιβαλὼν ἔβαλεν pro περιβαλὼν ἐνέβαλεν. — 12 οὔσης pro οὔσης τῆς. — XXII, 12 βάλλειν pro βάλλειν ἄλλην. — XXXI, 6 ἔχων φύλλοις pro ἔχων ἐν φύλλοις. — XXXIV, 1 ῥαίως pro ῥᾳδίως (ΡΑΙΔΙΩΣ) al.

Nonnumquam eiusdem vocis litterae locum suum mutaverunt: X, 4 πυρσανείω pro πρυτανείῳ. — 14 παρειναι pro προιέναι. — XXIII, 8 συνελθόντες pro συνθέλοντες vel συνεθέλοντες. —

Saepius per mendum tempora inter se confusa sunt: XI, 11 γίνεσθαι pro γενέσθαι. cf. ib. 15. — XII, 5 ἐπαγόμενοι pro ἐπαγαγόμενοι. — XV, 8 ἐμβαλλόντων pro ἐμβαλόντων. — XXII,4 1 ἐγείρουσι pro ἐγεροῦσι. — XXIII, 2 ἐκφαί-

[64]) Cf. pag. 24—25 (C. I, 1, a.)

νουσι pro *ἐκφανοῦσι*. — XXVI, 9 *ἀποκρίνεσθαι* pro *ἀποκρίνασθαι*. — 13 *ἀνταίρουσι* pro *ἀνταροῦσι* etc. etc.

Nec semper ordo vocabulorum conservatus est: cf. II, 1 ubi tradita sunt verba *τὰς ἀχρείους οὔσας εὐρυχωρίας ἐν τῇ πόλει* pro *τὰς ἀχρείους οὔσας ἐν τῇ πόλει εὐρυχ.* — VIII, 4 *ὡς δεῖ ἀχρεῖα ποιεῖν καὶ ἀφανίζειν* scripta post *πρᾶξιν*, reposita ab Herchero in suum locum post *ἔγκαρπα*. — XIII, 2 *τῶν μισθωσαμένων* verba *τὸ μέν τι παρ' αὐτῶν* sequi debent. — XVI, 14 *τὰς μακρὰς βοηθείας* verba cum Herchero ante *κατὰ τὰς ἁμαξηλατούς τε ὁδούς* collocanda sunt. — XVIII, 14 *ἀνὴρ ὅς τις* pro *ἀνήρ τις ὅς* scriptum esse Turicenses intellexerunt. — XXII, 15 post *προςέχειν* in sequentem § deciderunt verba *τοῖς αὐτῶν*, quae Hugius in priorem sedem restituit. — XXIV, 18 *ὅτε* primitus ante *ἐσκεδάσθησαν* collocatum erat. — XXVIII, 5 scriptum est *ἐν ταῖς πύλαις τῶν ἁμαξῶν* pro *τῶν ἁμαξῶν ἐν ταῖς πύλαις*. — XXIX, 4 *ἐπὶ τὸ μέλλον* quod traditum est ante *καὶ τῶν πολιτῶν* reponendum est post *συνεργοῖς*. Plura huius generis exempla postea proferemus in cap. II et III.

Lacunae multae in codice exstant. Nam praeter articulum, qui circiter quadragies excidit, et voculas *μέν, δέ, τε, καί, ἄν,* quae et ipsae saepius omissae sunt, singula vocabula plus quinquaginta desunt. Tamen lacuna non erat statuenda Herchero XXIV, 12 post *ἔλαθόν τινες*, ubi si cum Turicensibus pro verbo *συνελθόντες* scripseris *συνειςελθόντες* sententia satis apta redditur. Lacunae complurium verborum inveniuntur IV, 11; XII, 1 (forsitan); XVIII, 10; ib. 22 ante *πράσσοντα;* XIX, 1; XXVII, 11 post *θορυβηθῆναι*. XXVIII, 3; XXXI, 4; ib. 29. — Praeterea inde ab XVIII, 20 usque ad XXII, 19 saepius aliquae litterae vel voces exciderunt ideo, quod in Med. foliis 169 et 170 foramina duo patent, quae descriptis demum codicibus Parisinis orta sunt, cum hi ea, quae in Mediceo deperiere, praebeant.

Medicei archetypum puto ex libro uncialibus litteris scripto minusculis litteris descriptum esse. Nam multa ipsius Medicei menda vix oriri potuerunt, nisi in de-

scribendo libro minusculis litteris exarato. Contra haud pauca exstant, quae plus uno gradu Mediceum a codice maiusculis litteris scripto afuisse verisimile non reddant: ita inter se mutata sunt: *ΠΡΟΣΙΤΗΤΕΟΝ* et *ΠΡΟΣΠΗΓΑΙΟΝ* XXII, 13; — *ΑΛΛΑ* et *ΑΜΑ* (*ἄλλα* (resp. *ἀλλά*) et *ἅμα*) XXII, 17; XXXII, 1; XXXVII, 3; 9 ante *σάγματα*. — *ΜΗΘΕΝ* et *ΔΗΘΕΝ* XXIII, 10. — *ΜΗΘ* et *ΜΗ 'Ο* XXIII, 1. — *ΑΠΟΔΕΚΤΩΝ* et *ΑΠΟΛΕΚΤΩΝ* XXVI, 10. — XXXI, 35 *ΠΛΟΥΣ* pro *ΓΛΟΥΣ*. XXXIV, 1 *ΡΑΙΩΣ* pro *ΡΑΙΔΙΩΣ* per haplographiam. — XXXIX, 2 *ΕΙΗΟΣ* et *ΕΙΚΟΣ* al. Multa similia postea indicanda erunt. Cf. etiam Herch. annot. pag. 92 ed. — Certe Medicei archetypus singulas voces inter se non distinctas praebuit.

Ipsum Mediceum ita exaratum esse suspicor, ut alter librarius dictaret, alter scriberet, quoniam

a) verba in easdem vel similes litteras exeuntia similiterque sonantia inter se commutata sunt, id quod procul dubio aurium lapsu factum est: cf. X, 10 *ὁμόρους* pro *ὁμοτρόπως*. — ib. 12 *καθολικήν* pro *καθολκήν*. — 14 *ἴχνη* pro *λύχνα*. — XVIII, 14 *ἀκανθίδος* et 15; 18 *ἀκανθίδα* pro *ἀγαθίδος* et *ἀγαθίδα*. — ib. 15 *ἀπιλάσσων* pro *ἀφελίσσων*. — XXII, 19 *ἀλλήλων* pro *ὑψηλῶν*. — XXIX, 12 *σύκινα* pro *σκύτινα*. — XXVI, 12 *κόπον* pro *φόβον* ex elegantissima Meinekii coniectura. — XXXI, 10 *ἐνέγραφε* pro *ἐνέρραφε*. — 24 *διατεταγμένοι* pro *διατεταμένοι*. —

b) saepius *ο* et *ω* litterae inter se confunduntur: I, 4 *αὐτόν* pro *αὐτῶν*. — IV, 2 *ἔχων* pro *ἔχον*. — VII, 1 *ἔγκαρπος* pro *ἐγκάρπως*. — XI, 13 *ὥσπερ* pro *ὅςπερ*. — XVII, 1 *νεολκίας* pro *νεωλκίας*. — 2 *ἐξείργων* pro *ἐξῆγον*. — XXIV, 4 *εἰς ἀγρόν* pro *εἰςάγων*. — 15 *βιασμῶν* pro *βιασμόν*. — XXXVIII, 4 *δεδεμένων* pro *δὲ δεόμενον*.

c) *αι* et *ε* aurium lapsu inter se commutantur, cum pariter utrumque sonaret: XVII, 1 *ἑταίρους* pro *ἑτέρους*. — XXII, 13 *ΠΡΟΣΠΗΓΑΙΟΝ* = *ΠΡΟΣΠΗΤΕΟΝ* pro *ΠΡΟΣΙΤΗΤΕΟΝ*. — XXXIII, 6 *ἐκπορευταῖον* pro *ἐκπορευτέον*. — XXXI, 18 *διαιρέσει* pro *διέρσει*.

d) *ι, ει, η* (*οι, υ*) saepissime, quoniam pariter pronuntiabantur, confusa sunt: cf. *περιοδίας* pro *περιοδείας* I, 1; 5 saepius. — II, 1 *ἄχρηστον* pro *ἄριστον*. — III, 1 *πολυπληθία* pro *πολυπλήθεια*. — IV, 1 *ἐρετρείας* pro *Ἐρετρίας*. — 2 *διαπρήσας* pro *διαπρίσας*. — 4 *ἀπώλλοιντο* pro *ἀπώλλυντο*. — 6 *ἴδωσι* pro *εἰδῶσι*. — VI, 6 *ἔπειτα* pro *ἐπὶ τά*. — ib. *ἡμεροσκοπία* pro *ἡμεροσκοπεῖα*. — 7 *σύσσιμα* pro *σύσσημα*. — VII, 4 *μηδεὶς* pro *μὴ δίς*. — VIII, 4 *ὡς δή* pro *ὡς δεῖ*. idem XVII, 4 in nota marginali. — X, 10 *ὡσεί* pro *ὦσι*. — 25 *παρὰ τρισίν* pro *παρατήρησιν*. — XI, 12 *πηλός* pro *πῖλος*. — XII, 3 *Καλχιδονίων* pro *Καλχηδονίων*. — XV, 5 *προςπέσοι* pro *προςπέσῃ*. — XVI, 12 *λίαν* pro *λείαν*. — XVII, 2 *ἐξεῖργον* pro *ἐξῆγον*. — XVIII, 5 *σμήλη* pro *σμίλῃ*. idem 16. — 12 *κεραμεικόν* pro *κεραμικόν*. — 19 *προςπηδῆσαι* pro *προςεπιδῆσαι*. — 20 *ὑδρίον* pro *ὑδρεῖον*. — *κλίνην* pro *κρήνην*. — XX, 5 *φυλάκια* pro *φυλακεῖα*. — XXII, 19 *βούλει* (cum *ἄν* coniunctum) pro *βούλῃ*. idem XXXI, 10; 15; XXXV; XXXIX, 3; 4. — XXII, 28 *ἐκλείποντα* pro *ἐκλιπόντα*. — XXIII, 7 *πράξεις* pro *πρᾶξις*. — XXVI, 7 *ληφθέν* pro *λειφθέν*. — ib. *ἀθυμεῖ* pro *ἀθυμῇ*. — 11 *προιδόντες* pro *προειδότες*. — XXXI, 14 *ἐκκνίσας* pro *ἐκκνήσας*. — XXXII, 7 *προίδωσι* pro *προειδῶσι*. — 10 *βλάπτει, τιτρώσκει* pro *βλάπτῃ, τιτρώσκῃ*. — XXXIII, 1 *στίππυον* pro *στυππεῖον*. — XXXVII, 4 *σφίκας* pro *σφῆκας*. — XXXVIII, 7 *ἐλαφίων* pro *ἐλαφείων*. — XXXIX, 7 *ἁλυσεις* (sine accentu) pro *ἅλυσις*. — *αλωνίοις* (sine spiritu) pro *κηλωνείοις*.

His permultis mendis cuiusvis generis, quae in cod. Med. exstant, librarios eius fuisse valde ineruditos et neglegentes demonstratur.

Notae criticae in Mediceo inveniuntur hae: ς signum locum corruptum indicat. Exstat his locis: II, 1 *τ$\overset{ς}{υ}$φλουν* iniuria positum. — XXIII, 5 *τειχ*^{ςς}. — XXVI, 3 *$\overset{ς}{δ}$ιπων*. — XXVII, 14 *ν$\overset{ς}{ο}$στος*. — XXIX, 7 *ἀπεω $\overset{ς}{ω}$ενα*. — 11 *οισ$\overset{ς}{ο}$ιων*. — XXXI, 10 *πρ$\overset{ς}{ο}$ςεφερεν*. — 18 *ἐλ$\overset{ς}{η}$δινηαλι*^{ς} — *τον$\overset{ς}{ε}$ιναι*.

ἀρτιαιμε[ς]*θα.* — *ἀνετε*[ς]*α.* — 26 *αζε*[ς]*το.* — XXXIII, 2 *οἷον*[ς] *ὑπερμεγέθη.* — XXXIV, 1 *παι*[ς] *ται.* — XXXVI, 1 *τεσχε*[ς]*ι.* — XXXVIII, 7 *πε*[ς]*λαφίων.* — XXXIX, 3 *α*[ς]*νθεν.* — XL, 1 *πα*[ς]*σινα*[ς]*πασι.*

× signo semel in commentar. poliorc. vox corrupta notata est XI, 1 *τοῖς δεῖ* × *ἀντιπροθυμουμένοις.*

G. De Aeneae editionibus et tractationibus.

Editio princeps commentarii poliorcetici facta est ab Isaaco Casaubono, qui codice Parisino littera C signato, ut supra dictum, usus Aeneam Polybio adiunctum, commentario versioneque latina additis, Paris. 1609 in lucem emisit.

Casauboni editionem non mutatam una cum Polybii editionibus prelo commisere I. Gronovius 1670 et Ernestius 1763.

Alter edidit Aeneam Io. Conr. Orellius Lipsiae 1818. Usus est collatione codicis Medicei a viro aliquo docto, cuius nomen latet, cum editione Gronoviana facta: neque vero illam Franciscus del Furia, Laurentianae bibliothecae custos, ipse exhibuit, ut falso scribunt Turicenses[65]), sed utendam solum Orellio praebuit. Praeterea Orellius adhibuit Parisinorum trium codicum collationem, quam Koesius in epistulis Parisiensibus Lipsiae 1812 a Bredowio editis publici iuris fecit[66]), editionemque Casaubonianam, cuius et versionem latinam et commentarii magnam partem recepit.

Triginta quinque annis post Orellium Aeneam ediderunt Hermannus Koechlyus et Guilielmus Ruestowius in libri, qui inscribitur „Griechische kriegsschriftsteller“ vol. I, adiectis notis criticis, versione germanica commentarioque, qui im-

---

[65]) Cf. ed. praef. pag. 10. — Orell. praef. pag. VII.

[66]) Hac quoque de re Orellius et Turicenses inter se dissentiunt, cum ille Koesium tres codd., hi duos litteris A et B signatos contulisse scribant. Cf. Orell. praef. pag. XVI. — Turic. praef. pag. 11.

primis rerum tacticarum et historicarum rationem habet, Lipsiae 1853.

Quae editiones cum summopere corruptum Aeneae textum praebeant, Rudolfus Hercherus, vir sagacissimus, in editionibus suis maiori et minori, quae Berolini 1870 apud Weidmannos prodiere, et multis interpolatorum additamentis, quae deformaverant ipsa Aeneae verba, eum liberavit, et coniectando multis locis medelam attulit, ita ut optime omnium, qui post Casaubonum — a quo e tenebris Aeneas ad lucem primum protractus est — de commentario poliorcetico egerunt, de Aenea meritus sit, etsi nonnumquam erravit, id quod minime mirum est in tam difficili scriptore.

Hercheri vestigiis Arnoldus Hugius institit, qui multo longius illo procedendum ratus, permultis, quae genuina Aeneae sunt, deletis dilaniavit commentarium poliorcetium, ad quem tractandum omnino praeoccupata opinione et indagandis interpolationibus magis quam explicando scriptori addictus accessit: pauca tamen recte delevit. Ipse quoque coniecturis nonnullis emendare textum conatus est. Praeterea vero tam accurate Hercherianum textum expressit, ut nonnumquam etiam receperit, quae falsa ille exhibet. Sic e. gr. XVIII, 8 post *πόλει* vocem Hugius quoque *Ἡραιέων* inseruit, quamquam iam Koechlyus edocuerat hanc Casauboni coniecturam stare non posse[67]). — XXXI, 31 cum Herchero Hugius litteris exaratum praebet *Ἡρακλείδας*, sed statim pro *α* postremae syllabae tria puncta ponit, cum unum ponendum sit, quoniam *α* prima vocalium est. Hugii editio prodiit Lipsiae 1874 sumptibus et typis B. G. Teubneri.

Lacunarum in Aenea Tactico supplementa ex Med. hausta I. Gronovius Lugd. Bat. 1675 edidit.

Propriis denique dissertationibus de commentario poliorc. egerunt: F. Haasius in Iahn. annal. philol. vol. XIV, 1835; Meierus in libello cui inscripsit „Observationes in Aeneam Tacticum“ in catal. lect. Hall. aestatis a. 1835; Hertlinus

---

[67]) Cf. pag. 19—20, annot. 18.

in libello inscripto „Symbola critica in Aeneam Tacticum“ (in Lycei Wertheim. progr.) 1859; Meinekius in Hermae vol. II, pag. 174—190; Hercherus ib. et in sequentibus quibusdam Hermae voll.; Hermannus Sauppius in recensendis Hercheri editionibus in libri qui inscribitur „Goettinger gelehrte anzeigen“ 1871, tom. I, pag. 729—753; Hugius in „Prolegomenis criticis ad Aeneae Poliorcetici editionem“ in progr. Turicensi 1874 et in dissertatione, cui titulum praeposuit „Aeneas von Stymphalos, ein arkadischer schriftsteller aus klassischer zeit“ in libello inscripto „Gratulationsschrift der univers. Zuerich an die univers. Tuebingen etc.“ 1877.

His praemissis ad alterum caput transeamus, ubi agendum est

CAPUT II.

De atheteseon ratione in Aeneae libello statuenda.

A. Hercherus et Sauppius quam atheteseon rationem amplexi sint.

I. Quae Hercherus pro additamentis habuerit.

Ante editionem Hercherianam qui ad comment. poliorcet. tractandum accesserunt, exceptis paucis vocabulis, quae interpretandi causa adiecta videbantur, omnia genuina Aeneae esse putaverunt. Hercherus demum, ut supra monitum est, intellexit, statui non posse, eundem scriptorem modo genere dicendi satis pulchro usum esse, modo enuntiata perversa et imperfecta, verborum sententiarumque molesta interpretamenta pronuntiasse, neque eo tempore, quo Aeneam vixisse constat, ad eiusmodi librum conscribendum quemquam aggressum esse, qui dilucide planeque scribere nescisset. Quamobrem non ipsi Aeneae eorum, quae et a reliqui sermonis eius simplicitate et ab auctoritate, qua fruebatur apud Graecos Romanosque veteres rei militaris peritos, abhorrerent, rationem reddendam esse censuit, sed librariorum petulantiae et stu-

piditati, sed garrulis vanisque interpolatoribus. His fundamentis positis Hercherus permulta in marginem relegavit.

Sed quamquam procul dubio multa genuinis Aeneae verbis adiecta sunt, quamquam illa indagare acerrimo iudicio studuit, tamen eum haud paucis locis longius processisse, cum expunxerit, quae defendi possunt, credo.

Priusquam vero de his ipsis videamus, exponere placet, quamnam atheteseon rationem equidem adhibendam censeam. Quae tota quaestio multo facilius diiudicari posset, si melioribus codicibus ad textum Aeneae constituendum uti liceret, qui cum tam corruptus, tam depravatus sit, ut saepissime non verborum ac sententiarum interprete, sed Oedipo aliquo opus sit, qui aenigmata proposita solvat, summopere cavendum est, ne quae librarii vitio corrupta a sententiarum conexu vel scriptoris genere dicendi primo obtutu videantur aliena esse, ea statim ad interpolatorem reiciamus. Explicanda potius et emendanda sunt ante omnia, quae codices praebent: nec vero hoc ipsum emendandi studium modum egredi debet, sed ea sola mutare debemus, quae sensum non praebent vel sermoni Aeneae repugnant, cum non optimus et perfectus scriptor sit Aeneas, quo indigna iudicentur, quae fortasse aliter melius exprimi potuissent. In marginem autem rescribenda sunt ea tantum, quae quamvis aut per se mendis libera aut emendata, nihilominus cum ipsius Aeneae natura et sermone, cum rerum conexu nullo modo consentiunt, et quae, cur adiecta sint ab interpolatoribus, ipsa per se edocent: nam insana ne interpolatori quidem, nisi forte illum dementem tibi finxeris, possunt imputari. Nec praeterea tam a communi aliorum aequalium scriptorum genere dicendi in hac quaestione diiudicanda proficiscendum est quam a proprio Aeneae. Servanda sunt, ut in quovis alio scriptore, ita in Aenea, quae nec sententiarum conexui nec naturae sermonive scriptoris repugnant; liberum iudicium reservandum de iis, quae corruptiora sunt, quam quae sanari vel explicari possint.

Sed reversi, unde digressi sumus, iam inspiciamus eos

locos, ubi Hercherus interpolatori tribuisse videatur, quae ipsius Aeneae sunt.

I, 5 sic incipit in libris manu scriptis: *ἔπειτα λοιπὸν ἀπολέγειν σώματα τὰ δυνησόμενα μάλιστα πονεῖν.* Vocem *λοιπόν* ab Herchero deletam recte mihi Sauppius l. l. pag. 735 defendere videtur.

Pergitur ibi verbis *καὶ μερίσαντα λοχίσαι, ἵνα εἴς τε τὰς ἐξόδους καὶ τὰς κατὰ πόλιν περιοδείας .... ὑπάρχωσιν οὗτοι προτεταγμένοι τε καὶ δυνατοὶ ὄντες ὑπηρετεῖν.* In participio *ὄντες* quid offensionis insit, cum nemo videat, Hugius illud ab Herchero deletum in textum rursus recepit.

II, 1 simplicius videtur verba *ἄριστον δὲ τὰς ἀχρείους οὔσας εὐρυχωρίας ἐν τῇ πόλει, ἵνα μὴ σωμάτων εἰς αὐτὰς δέῃ, τυφλοῦν ταφρεύοντα* sic scribere *ἄριστον δὲ τὰς ἀχρείους οὔσας ἐν τῇ πόλει εὐρυχωρίας .... τυφλοῦν ταφρεύοντα* quam cum Herchero verba *ἐν τῇ πόλει* delere, quae etsi potuissent omitti, tamen non omitti debebant. Certe, quod alieno loco tradita sunt, non multum valet, quia saepius in cod. Med. ordinem vocabulorum turbatum esse vidimus [68]). Quod vero in cap. I extr. Aeneas dixit *εἰς τὰς οὔσας ἐν τῇ πόλει εὐρυχωρίας*, non semel ab eo eadem verba paucis aliis interpositis repetita esse supra expositum est [69]).

III, 2 tradita sunt verba *ἔπειτα οὕτως ἀφ' ἑκάστης φυλῆς τοὺς δυναμένους τοῖς σώμασι πονέσαι ἀπολέγειν.* Hercherus Hertlinum secutus *πονέσαι* ut superfluum additamentum eicit. Sed cum maiore commodo et sensus et structurae retinebitur collatis verbis I, 5 *ἀπολέγειν σώματα τὰ δυνησόμενα μάλιστα πονεῖν.*

ib. 5 Mediceus praebet *εἰς — τὰς ἄλλας* ἕ*καστον ἐγγύτατα εὐρυχωρίας ἀθροίζεσθαι τοὺς ῥυμάρχας μετὰ τῶν ἐξενεγκαμένων παρ' αὐτοὺς τὰ ὅπλα.* Verba *ἕκαστον ἐγγύτατα* cum Hercherus interpolatori tribuisset, optime Sauppius l. l. pag. 736 retenta illa sic emendare videtur *εἰς τὰς ἄλλας*

---

[68]) Cf. pag. 62.
[69]) Cf. pag. 49.

τὰς ἑκάστου ἐγγυτάτω εὐρυχωρίας ἀθροίζεσθαι τοὺς ῥυμάρχας κ. τ. λ.

In IV, 5 verbis πολεμοῦντα οὖν χρὴ ἐγγὺς ὄντων τῶν πολεμίων πρῶτον μὲν τὰ ἀποστελλόμενα ἐκ τῆς πόλεως κατὰ γῆν ἢ κατὰ θάλατταν ἐπί τινα πρᾶξιν πρὸς τοὺς ὑπομένοντας μετὰ συσσήμων ἀποστέλλειν καὶ ἡμερινῶν καὶ νυκτερινῶν, ἵνα μὴ ἀγνοῶσι πολεμίων αὐτοῖς ἐπιφαινομένων εἰ φίλιοι ἢ πολέμιοί εἰσιν compluria menda inesse ratus Hercherus forsitan recte πολεμοῦντα in προνοῦντα mutavit, quod Chalcidensium socordiae, de qua modo egerat Aeneas, providentiam ducis obsessorum opponendam fuisse censuit, minus bene autem verbis πρὸς τοὺς ὑπομένοντας, et quod alieno loco posita essent, et quod subiectum ad ἀγνοῶσιν verbum desideraretur, eiiectis post ἀγνοῶσιν illud inseruit οἱ ὑπομένοντες. Contra Hugius[70]) ex litterarum similitudine auxilium petendum arbitratus proposuit μετὰ συσσήμων πρὸς τοὺς ὑπομένοντας συγκειμένων ἀποστέλλειν, ἵνα μὴ ἀγνοῶσι κ. τ. λ.: facilius profecto ex vocum similitudine mendum ortum esse videretur, si scriberemus μετὰ συσσήμων συγκειμένων πρὸς τοὺς ὑπομένοντας κ. τ. λ. Sed equidem omnino leniorem medelam adhibendam esse censeo: cum enim appareat, verba πρὸς τοὺς ὑπομένοντας (id quod Hugius quoque statuit) alieno loco posita esse, reponenda illa censeo post vocem νυκτερινῶν, unde ea decidisse suspicor[71]). Praeterea, ut hoc statim hic addam, in enuntiati secundarii voce πολεμίων, pro qua audacius Meierus τινῶν, ineptius Turicenses πολιτῶν ἢ πολεμίων vel οἱ ἐν πόλει ἄλλων scribenda proposuerunt, haereo: iusto enim magis ambigue dictum videtur πολεμίων αὐτοῖς ἐπιφαινομένων ἀγνοῶσιν εἰ φίλιοι ἢ πολέμιοί εἰσιν: an est, qui hostibus conspectis, utrum hostes an amici sint, dubitet? Nec praeterea Aeneas συσσήμοις illis effici vult, ut cives hostibus tantum conspectis, qui sint, sciant, sed quoscumque appropinquantes statim cognoscant: rerum igitur conexu

---

[70]) Cf. prolegg. critt. pag. 38.

[71]) Cf. pag. 62.

postulatur vox, cuius sententia latius pateat. Sanabitur locus scribendo *προςιόντων αὐτοῖς ἐπιφαινομένων* („ne copias appropinquantes si conspiciant, amicaene an hostiles sint, ignorent“): librorum manu scriptorum natura certe minime obstat, quominus *πολεμίων* propter sequens illud *πολέμιοι* hic a librario segni pro ea voce, quae scribi debebat, exaratum esse putemus. Nec participia duo coniuncta aliena ab Aeneae sermone esse, docent praeter alia ea, quae XXIX, 8 inveniuntur: *νυκτὸς δὲ γενομένης καὶ ἀθροισθέντων τῶν ἐπιθησομένων, ἑκάστου τηρήσαντος τὸν καιρόν κ. τ. λ.* Quodsi igitur receptis iis, quae proposui, scripseris § 5 . . . *πρῶτον μὲν τὰ ἀποστελλόμενα ἐκ τῆς πόλεως κατὰ γῆν ἢ κατὰ θάλατταν ἐπί τινα πρᾶξιν μετὰ συσσήμων ἀποστέλλειν καὶ ἡμερινῶν καὶ νυκτερινῶν πρὸς τοὺς ὑπομένοντας, ἵνα μὴ ἀγνοῶσι προςιόντων αὐτοῖς ἐπιφαινομένων εἰ φίλιοι ἢ πολέμιοί εἰσιν,* omnia bene se habent.

V, 1 leguntur verba *ἔπειτα πυλωροὺς καθιστάναι μὴ τοὺς τυχόντας, ἀλλὰ φρονίμους καὶ ἀγχίνους καὶ μὴ ὑπονοεῖν μὴ δυναμένους ἀεί τι τῶν εἰςκομιζομένων,* quorum postrema Hercherus aliena ab Aenea esse putat, quod *μὴ ὑπονοεῖν μὴ δυναμένους* non possit dici pro *ὑπονοεῖν δυναμένους* neque sobrii hominis sit, scribere *ἀεί τι τῶν εἰςκομιζομένων* pro *πάντα τὰ εἰςκομιζόμενα,* nec denique satis sit, istos sollertis ingenii homines suspectare, quidquid in urbem importetur, sed suspectando fraudes perspicere et exagitare. Sed *πρῶτον ψεῦδος,* ut ita dicam, in eo positum est, quod Hercherus *μὴ ὑπονοεῖν μὴ δυναμένους* dictum putat pro simplici *ὑπονοεῖν δυναμένους,* quamquam ei prius illud *μή* coniungendum erat cum *καί* voce, ita ut haec sententia evadat: „neve eos, qui suspectare, quae importentur, nequeant.“ Habemus igitur ex eorum numero exemplum, ubi eandem sententiam et positivo et negativo modo Aeneas expressit.[72]) Quod si perspexisset Hercherus — quandoquidem omnino cognitam ha-

---

[72]) Cf. pag. 25.

buit illam Aeneae proprietatem, id quod nescio — sine dubio sanare verba quam expungere maluisset.

Emendando igitur loco addictus equidem aut statuendum puto *ἀεί* vocem primitus ante *εἰςκομιζομένων* scriptam et oculorum lapsu a vetere quodam librario propter similitudinem insequentium litterarum omissam fuisse, deinde ab eodem vel a correctore illius codicis sive superscriptam sive in margine adiectam postea falso loco irrepsisse, scribendum igitur esse *καὶ μὴ ὑπονοεῖν μὴ δυναμένους τι τῶν ἀεὶ εἰςκομιζομένων* (vernacula „der in iedem einzelnen falle eingefuehrten gegenstaende," quam vim saepius in vocula illa inesse satis constat), aut *ἀεί* corruptela ortum esse ex *ἰδίᾳ* voce. Quod si probaveris, legendum erit ... *καὶ μὴ ὑπονοεῖν μὴ δυναμένους ἰδίᾳ* (vernacula „auf eigene faust, fuer sich") *τι τῶν εἰςκομιζομένων.* De *ἰδίᾳ* voce cf. X, 4 *μηδὲ θύεσθαι μάντιν ἰδίᾳ ἄνευ τῶν ἀρχόντων.* Utramque medelam nec audaciorem esse et sensum bonum praebere spero fore, ut unusquisque mihi concedat.

Simul igitur alterum Hercheri argumentum ex verbis *ἀεί τι τῶν εἰςκομιζομένων* sumptum, cum retineri illa non posse eluceat, futile esse demonstravimus. Quam vero postremam causam ille affert, eam subtilius quam verius excogitatam esse puto: nam certe summum est ac primarium suspectare portae custodem, quae suspicionem movere possint, quo facto detegi fraus facile poterit. Quare emendata, ut exposui, seu alteram sive alteram rationem praetuleris, verba illa retinenda sunt in textu.

Eodem modo Hercherus falsus est, quod I, 8 in verbis *τοὺς ῥωμαλεωτάτους ἡλικίᾳ καὶ νεότητι ἐκλέξαντα* Hertlinum secutus voces *καὶ νεότητι* in marginem relegavit, de qua re iam in pag. 24 breviter monuimus.

Nec multo aliter se habet res, quod attinet ad IX, 3 verba *τοῖς δὲ πολεμίοις φόβον ἐμποιήσειας ἐπιχειρεῖν τι ἀλλ' οὐ δεδιώς,* ubi Hercherus deletis vocibus *ἐπιχειρεῖν τι ἀλλ' οὐ δεδιώς* scribit *τοῖς δὲ πολεμίοις φόβον ἐμπαρασκευάσεις ὥςτε κ. τ. λ.* Quam paragraphum, qui ipsi Aeneae tribuit, sal-

tem scribere debet cum Turicensibus *τοῖς δὲ πολεμίοις φόβον ἐμποιήσεις ὡς ἐπιχειρῶν τι ἀλλ' οὐ δεδιὼς κ. τ. λ.* Sed tota haec §, ut postea videbimus, interpolatori potius est vindicanda.

X, 11 praebet Med. *ταῖς δὲ δημοσίᾳ ἀφικνουμέναις πρεσβείαις ἀπὸ πόλεων ἢ τυράννων ἢ στρατοπέδων οὐ χρὴ — τὸν ἐθέλοντα διαλέγεσθαι.* Collato loco IX, 2 *διαγγελθέντων οὖν τούτων εἰς τὸ στραπόπεδον τῶν πολεμίων ἢ τὴν πόλιν,* qui, quid ad hanc quaestionem diiudicandum valeat, prorsus me fugit, Hercherus verba *ἢ τυράννων* expungit, in quibus profecto nihil inest, cur Aenea indigna esse iudicentur. Tyranni etiam commemorantur X, 16; XXII, 19[73]).

ib. 14, ubi tradita sunt haec *ὅταν δὲ σημήνῃ, τὰ τούτοις ἐμπόρια καὶ πρατήρια κλείεσθαι καὶ τὰ λύχνα κατασβέννυσθαι,* Hercherus *τούτοις* vocem eicit. Sed quidnam putat sibi voluisse eum, qui hanc adiecerit? Neque enim *τούτοις* (vel *τούτων*, si corrigere malis) habet omnino, quo referatur: sane ad *τοὺς ξένους*, qui § 13 nominati sunt, spectare non potest, cum non solum peregrinorum, sed etiam ipsorum civium tabernas signo dato claudi iubeat procul dubio Aeneas. Medebimur loco facillima ac fere nulla mutatione adhibita scribendo *ὅταν δὲ σημήνῃ, οὕτως τὰ ἐμπόρια καὶ πρατήρια κλείεσθαι.* Eodem modo adhibitum invenis *οὕτως* e. gr. VII, 3; XVI, 18; XVII, 6; similiter cum *ἔπειτα* coniunctum III, 2; (IV, 1) XXXI, 21; XXXVII, 9. — *οὕτως* ex *τούτοις* voce ortum videtur XV, 4 (cf. pag. 79).

ib. 19 legimus haec: *εἴ τις βούλεται ἀπιέναι μὴ ἀρεσκόμενος τοῖς παροῦσιν, ἐξεῖναι ἀπαλλάττεσθαι, ἀλλ' ὕστερον πεπωλήσεται τὰ δ' ἐλάσσω τούτων ἀδικήματα κατὰ τὸν νόμον τὸν προκείμενον δεσμὸς ἢ* (Orell. *ἡ*) *ζημία· ἐὰν δέ τις φαίνηται βλάπτων τι τὸ στράτευμα ἢ διαλύων τὸ στρατόπεδον, θάνατος ἔστω ἢ* (cod. Casaub. *ἡ*) *ζημία.* Spectant haec ad § 18 verba

---

[73]) Quibus argumentis — nam merae suspiciones nihil valent — nisus Hugius omnino tyrannorum mentionem ex Aeneae libello tollere conatus sit, minus etiam me intellegere postea demonstrabo.

τοιάδε κηρῦξαι. Falso Hercherum initium sic scribere: *καὶ ἐάν τις βούληται* cap. III exposui; de verbis *ἀλλ' ὕστερον πεπωλήσεται* ab Hugio deletis sub B, II. egi. — Hercherus ad totam hanc § annotat: „... Interpolator inseruit quod in scriptis post *πεπωλήσεται* habetur *τὰ δ' ἐλάσσω τούτων ἀδικήματα κατὰ τὸν νόμον τὸν προκείμενον δεσμὸς ἢ ζημία,* quae verba et absurda sunt et imperfecte conscripta. nam magno cum nostro stupore legimus eum, qui minora quam iners ille, cui volenti licet ex urbe exire, peccata commiserit, hoc est, qui ne sentiat quidem contra rempublicam, in vincula coniciendum atque ita graviore quam qui maiora deliquerit poena afficiendum esse. inepte etiam post *ἀγγείλαντα σιγὴν πάντων ἀκουόντων κηρῦξαι* adicitur *κατὰ τὸν νόμον τὸν προκείμενον*, cuiusmodi lex antea nulla commemorata est. Neque ullam in simplicissimo enuntiato excusationem habent nominativi absoluti *τὰ δ' ἐλάσσω τούτων ἀδικήματα*, neque plena sunt *δεσμὸς ἢ ζημία* ... denique ne illud quidem satis apparet masculine *τούτων* an neutraliter accipiendum sit. adscripserat interpolator sententiolam suam ad verba *ἐὰν δέ τις φαίνηται βλάπτων τι τὸ στράτευμα — θάνατος ἔστω ἡ ζημία*, in aliena sede defixit librarius."

Ac recte quidem Hercherus iudicat illa verba in eum, quem in Med. tenent, locum non quadrare. Cum autem propter sententiam et iis, qui genuina, et iis, qui interpolata ea esse existimant, post verba *θάνατος ἔστω ἡ ζημία* sint reponenda, reposita mihi minime a sententiarum conexu videntur absona esse. Quod vero ad structuram pertinet, non debebat Hercherus, quae est natura cod. Med., a vocibus *τὰ δ' ἐλάσσω τούτων ἀδικήματα*, quae corrupta esse apparet, profectus totum enuntiatum Aenea indignum iudicare: ac poterant illae eo facilius depravari, quod sede sua hoc enuntiatum detrusum est. Scribendum erit aut *τῶν δ' ἐλασσόνων τούτων ἀδικημάτων* aut *περὶ δὲ τὰ ἐλάσσω τούτων ἀδικήματα* (cf. pag. 47). Nec iusto difficilius ad voces *δεσμὸς ἢ ζημία* suppletur *ἔστω* ex antecedentibus *θάνατος ἔστω ἡ ζημία*: *τούτων* vero neutraliter intellegendum esse rerum conexus ostendit.

Denique verba *κατὰ τὸν νόμον τὸν προκείμενον* nihil aliud significant quam „nach dem bestehenden gesetz“: cf. Thuc. IV, 133 *οἱ δὲ ἄλλην ἱέρειαν ἐκ τοῦ νόμου τοῦ προκειμένου κατεστήσαντο.* Soph. Oed. tyr. 865 *ἔργων τε πάντων, ὧν νόμοι πρόκεινται ὑψίποδες.* — Cf. etiam Aeneae XXII, 29 fin.

ib. 20. Nullo cum commodo nec sententiae nec structurae Hercherus *ἐν* praepositionem in verbis *τοὺς . . . αἰτίους γενομένους ἐν τῇ πόλει πράξεώς τινος* delet, quam omissam potius desideraremus.

ib. 24. Quando urbi, quae antea hostibus obsides dederit, hostium impetus immineat, parentes obsidum vel propinquos si fieri possit, ex urbe removeri iubet Aeneas. Pergit deinde sic: *ἐὰν δὲ ἄρα δυςχερὲς ᾖ — ἐκπέμπειν . . . ἄλλας ἐπ' ἄλλαις πράξεις καὶ λειτουργίας αὐτοῖς τὸ πλῆθος ἐπιῤῥεῖν ἀνυπόπτως, μεθ' ὧν ὄντες ἐν φυλακῇ μᾶλλον ἔσονται ἢ φυλάξουσί τι.* 25 *ἔστωσαν δὲ διειλημμένοι εἰς παρατήρησιν· οὕτω γὰρ ἂν διακείμενοι ἥκιστα ἂν δύναιντο νεωτερίσαι.* Quae sic fere vertam: „Quodsi difficile est eos emittere, alia ex aliis opera et munera in eos irruunto, ita tamen, ut nihil ipsi suspicentur, quibus occupati custodientur magis (sc. ipsis illis muneribus) quam aliquid observabunt. Disponuntor autem ad observandum (vel: quo melius observari possint): nam in hac rerum condicione minime quidquam novare perterunt.“ Enuntiatum relativum Hercherus ab Aenea abiudicat argumentis usus tam miris quam quaesitis. Dicit enim: „Pertinent ista ad *ἔστωσαν δὲ διειλημμένοι εἰς παρατήρησιν,* quae ita interpretatus est interpolator, ut excubias vel stationes intellegeret, quarum munus parentibus obsidum ac propinquis obeundum esset una cum aliis, qui eorum consilia observarent dividerentque eos, ne de republica prodenda conspirare possent . . . idem *ὧν* ad *τοὺς παρατηρήσοντας* rettulit, quos ex *παρατήρησιν* derivavit . . . iam facile ad intellegendum est quam male Turicenses *ὧν* redire voluerint ad *λειτουργίας.*“ Sed vir doctus magnopere a vero aberravit, quoniam quae optime eo ordine, quo tradita sunt, intelleguntur, ea perturbato

ordine futilissimis de causis eicienda esse demonstrare studuit. Immo recte agunt, qui Turicenses secuti et retinent enuntiatum illud et ad *λειτουργίας* referunt, quomodo optimus sensus efficitur, quem supra significavi. Primum igitur Aeneas hoc praecipit, ut iam vernacula hic utar: „... sie muessen auf unverfaengliche weise mit dienstleistung ueber dienstleistung massenhaft ueberhaeuft werden, durch welche gebunden sie mehr beaufsichtigt werden, als selbst auf irgend etwas achten (h. e. irgend welche gelegenheit zum verrat erspaehen) koennen": iam accedit alterum praeceptum: „Sie muessen ferner getrennt werden, um sie einzeln desto besser beobachten zu koennen u. s. w." Circumspiciamus autem, quomodo factum sit, ut Hercherus in errorem incidisset: ac fere nequit dubitari, quin ab ipsis verbis traditis, cum obscuriora ei viderentur, ad Casauboni versionem latinam confugerit itaque deceptus sit. Nam Casaubonus ita perperam locum interpretatus est: „In aliis atque aliis actionibus et munerum functionibus occupentur, per quae omni amota suspicione, multitudo hominum ad eos confluet, inter quos custodientur potius, quam ut ipsi quicquam custodiant. Sunto autem ita divisi, ut unum terni observent" (nam codices praebent *ὡσεὶ παρὰ τρισίν*, unde Casaubanus constituit *ὡς εἷς παρὰ τρισίν*).

Praeterea, ut hoc statim moneam, non debebat Hercherus *ἐπιῤῥεῖν*,[74]) quo verbo gravissime significatur, quasi obrui homines illos negotiorum multitudine, in *ἐπιῤῥιπτεῖν* mutare: nam qua ex parte hoc aptius est quam traditum verbum? Nec necesse erat pro *λειτουργίας τὸ πλῆθος* scribi verba *λειτουργιῶν πλῆθος*: nam *τὸ πλῆθος* et ad *πράξεις* et ad *λειτουργίας* spectat, significat vero quasi adverbii vice „in menge."

XI, 1, ubi in cod. Med. exstant haec: *ἔτι δὲ καὶ τῶν πολιτῶν τοῖς δεῖ* × *ἀντιπροθυμουμένοις προςέχειν τὸν νοῦν,*

---

[74]) *ἐπιῤῥεόντων — τῶν Ἑλλήνων καὶ γινομένων πλεύνων* Herod. IX, 38. — *ὄλβου δ' ἐπιῤῥυέντος εὐτυχέστερος ἄλλου γένοιτ' ἂν ἄλλος* Eurip. Med. 1229.

Hercherus *δεῖ* illud ut aliena manu invectum exstinguit. Sed vix hoc cuiquam persuadebit, cum nusquam praeterea in toto comment. poliorc. ad infinitivum, quo toties praecepta dantur[75]), *δεῖ* vel *χρή* ab interpolatore appositum sit. Quare certe *δεῖ*, id quod etiam signum × indicare videtur[76]) pro corrupto habendum est: sanabimus facili opera locum scribendo *τοῖς δὴ ἀντιπροθυμουμένοις*. Cf. XXII, 12 *ὡς δὴ ὁρωμένους τινάς*. Similiter *δεῖ* et *δή* inter se confusa sunt VIII, 4 *ὡς δὴ* (pro *δεῖ*) *ἀχρεῖα ποιεῖν*, et XVII, 4 *διὸ δὴ* in nota marginali pro *διὸ δεῖ*, quibus verbis saepissime interpolator usus est.

ib. 8. Quae verba *ἐπεὶ δὲ ἐπὶ τῷ εἰςάγεσθαι τοὺς ξένους ἦσαν οἱ πλούσιοι* sequuntur *ἅμα δὲ καὶ τῶν ἐν τῇ πόλει τινὲς ἦσαν ἕτοιμοι*, non necessarium est cum Herchero delere: nam opponuntur inter se verba *εἰςάγεσθαι τοὺς ξένους* et *τῶν ἐν τῇ πόλει τινὲς ἦσαν ἕτοιμοι*, neque vero, ut Hercherus arbitratur, *οἱ πλούσιοι* et *οἱ ἐν τῇ πόλει*. Hoc igitur novum illis verbis edocemur, divites non solum, id quod antea iam commemoratum erat, extra urbem mercennarios collocasse, sed etiam intra urbem fuisse paratos, qui eos adiuvarent. Certe quod § 14 ab iis, qui Corcyram oppresserunt, auxilium ex plebe comparatum non esse narratur, minime nos cogere potest, ut Argivorum coniuratos et ipsos externis tantum, non simul oppidanis copiis nisos esse credamus.

De iis quoque, quae post § 9 Hercherus abiecit *τοῦτο δὴ αὐτό, ἵνα κατὰ τὰς φυλὰς ὄντες οἱ πλούσιοι μὴ δύνωνται εἰς ταὐτὸ ἀθροισθέντες μετὰ τῶν ξένων ἐπιθέσθαι, ἀλλ' ἐν ταῖς φυλαῖς ὄντες διακεχωρισμένοι ὦσιν ἐν πολλοῖς ὀλίγοι φυλέταις. καλῶς δὲ δοκεῖ καὶ ἀγχινόως μετ' ἀσφαλείας διαλῦσαι τὸ μέλλον*, paulo aliter mihi statuendum videtur. Minime enim ineptum puto, Aeneam brevi indicare, quem ad finem tribunus plebis iusserit illa nocte, quam ad opprimendam

---

[75]) Cf. pag. 41.
[76]) Cf. pag. 65.

urbem destinaverant coniurati, omnes cives in suam quemque centuriam convenire. Quare retinenda censeo verba *τοῦτο δὴ αὐτὸ* (sc. *προειπεῖν ἔδοξε* vel *εἶπεν*), *ἵνα κατὰ τὰς φυλὰς ὄντες οἱ πλούσιοι μὴ δύνωνται εἰς ταὐτὸ ἀθροισθέντες μετὰ τῶν ξένων ἐπιθέσθαι*, quae per se offensione libera esse facile omnes mihi concedent. Ad haec interpolator nondum satis explicatum esse dolum tribuni ratus, sed graviter premendum, dispersos inter plebeios fuisse optimates, adscripsit illa *ἀλλ' ἐν ταῖς φυλαῖς διακεχωρισμένοι ὦσιν ἐν πολλοῖς ὀλίγοι φυλέταις· καλῶς δὲ δοκεῖ καὶ ἀγχινόως μετ' ἀσφαλείας διαλῦσαι τὸ μέλλον*, sententiam prorsus supervacaneam. Fere eadem in calce sequentis paragraphi adiecit, ubi profecto, quia de simillimo facinore atque in § 8—9 agitur, ipsi Aeneae nihil explicandum erat: interpolatoris vero intererat, hic quoque monere dissipatos inter plebem fuisse divites, id quod ei utroque loco summum videbatur.

XII, 1 Aeneas praecipit, si socii in urbe obsessa stipendia faciant, *μήποτε ἅμα διατελεῖν τοὺς συμμάχους, ἀλλὰ διεσκεδάσθαι ὁμοτρόπως τῶν αὐτῶν ἕνεκεν τοῖς προειρημένοις*. Hercherus cur maluerit verba *τῶν αὐτῶν ἕνεκεν* deleri quam scribi *ὁμοτρόπως τοῖς προειρημένοις τῶν αὐτῶν ἕνεκεν*, equidem causam non reperio: nam aptissima sunt verba *τῶν αὐτῶν ἕνεκεν* ad loci sententiam. Spectant vero illa *ὁμοτρόπως τοῖς προειρημένοις τῶν αὐτῶν ἕνεκεν* ad XI, 8—10.

XII, 4 Hercherus post *ξένοις τε χρώμενον ἀεί* verba *δεῖ τὴν πόλιν* eicit, quod in structuram non quadrent: facilius vero Turicenses secuti scribemus *ξένοις τε χρωμένην ἀεὶ δεῖ τὴν πόλιν*. Sed omnino hanc totam § 4 interpolatoris esse Hugius edocuit[77]).

XIII, 1 In enuntiato *χρὴ τοῖς ἐν τῇ πόλει εὐπορωτάτοις προςτάξαι κατὰ δύναμιν ἑκάστῳ παρασχεῖν ξένους ἕκαστον* mihi verbum *ἑκάστῳ* dittographia potius sequentis *ἕκαστον* ortum quam, id quod Hercherus iudicare videtur, de industria ab aliquo adiectum videtur. Eodem modo irrepsit *εὐθύς*

[77]) Cf. prolegg. critt. pag. 24 et 25.

XVI, 15 et *τὰ παρασυνθήματα* XXV, 2 ante *τοιάδε*. De aliis dittographiae exemplis cf. pag. 60—61.

XV, 4 Melius pro verbis *ἔπειτα ἄλλο καὶ ἄλλο πλῆθος οὕτως ἐκπέμπειν* cum Hugio scribitur *ἔπειτα ἄλλο καὶ ἄλλο πλῆθος τούτοις ἐπιπέμπειν* quam *οὕτως* cum Herchero expungendum statuitur. In proximis secundum Sauppium l. l. pag. 742 legendum videtur *καὶ ἐάν τε μέρος δέῃ βοηθῆσαι*, ita ut verba *τὰ μέρη*, quae in Mediceo ante *μέρος* inveniuntur, dittographia eorundem verborum paulo antecedentium nata esse putentur.

XVI, 12 Hercherum in verbis *φθάσαι δέ σε εἰκός ἐστι πρότερον εἰς τὴν ἐκείνων ἀφικόμενον* iniuria verbum *πρότερον* delevisse intelleges, ubi comparaveris, quae in pag. 24—25 de iisdem notionibus bis ab Aenea expressis exposuimus.

ib. 18 legimus haecce: *ἂν δὲ μηδὲ ταῦτα ὑπάρχῃ, λοιπὸν* (ita recte meo iudicio Sauppius pag. 743 pro eo quod Med. praebet *τῶν λοιπῶν*; Hercherus audacius *ἂν δὲ μὴ ὑπάρχωσι τοιοίδε τόποι*) *καταλαβεῖν ἐγγὺς τῆς πόλεως χωρία σύμμαχά τε πρὸς τὸ μάχεσθαι πλεονεκτικῶς καὶ εὐαπαλλάκτως ἔχοντα* (Meierus pro *ἔχων τὸ χωρίον*), *ὅταν βούλῃ* (Med. *βούλει*) *ἀπιέναι πρὸς τὴν πόλιν καὶ οὕτως ἐμβαλόντες οἱ πολέμιοι εἰς τὴν χώραν πρὸς τὴν πόλιν πορεύονται καὶ ἄρχειν* (*ὑμᾶς* expunxit Herch.) *τῆς μάχης ἐκ τῶν χωρίων τούτων ὁρμώμενον* (Herch. pro *ὁρμωμένους*). Missis illis, quae alii ad haec verba emendanda proposuerunt, statim ad id properemus, in quo cardo rerum versatur. Hercherus enim verba *ἐμβαλόντες οἱ πολέμιοι εἰς τὴν χώραν πρὸς τὴν πόλιν πορεύονται* interpolatoris esse credit, qui quo consilio illa adiecerit, nemo videt. Contra sede sua amota vocabula, quod minime raro in Med. cod. factum est[78]), in proximum eius, ubi primitus posita fuerant, versum pervenisse equidem puto. Quibus post *πλεονεκτικῶς* repositis sic restituendum totum enuntiatum censeo: *ἂν δὲ μηδὲ ταῦτα ὑπάρχῃ, λοιπὸν καταλαβεῖν ἐγγὺς τῆς πόλεως χωρία σύμμαχά τε πρὸς τὸ μάχεσθαι*

---

[78]) Cf. pag. 62.

πλεονεκτικῶς, ὅταν οἱ ἐμβαλόντες εἰς τὴν χώραν πολέμιοι πρὸς τὴν πόλιν πορεύωνται, καὶ εὐαπαλλάκτως ἔχοντα, ὅταν βούλῃ ἀπιέναι πρὸς τὴν πόλιν κ. τ. λ. Et *ὅταν* facile excidere potuisse, quoniam saepissime in cod. Med. lacunae reperiuntur[79]), unusquisque concedet et *ο* litteram cum *ω* saepius confusam esse in pag. 63 edoctum est. Aptiorem vero sententiam reddi accepta hac leni mutatione quam eiecto illo enuntiato, quod ne potest quidem interpolatori tribui, vix quisquam negabit: respondent inter se verba *σύμμαχα πρὸς τὸ μάχεσθαι πλεονεκτικῶς, ὅταν οἱ πολέμιοι πρὸς τὴν πόλιν πορεύωνται* et *εὐαπαλλάκτως ἔχοντα, ὅταν βούλῃ ἀπιέναι πρὸς τὴν πόλιν.*

XVIII, 7 Aeneas de custode perfido scribit: *ἕτερος δὲ ἔλαθε τρέψας τὸν μοχλὸν μέλλων ἐμβάλλειν* (sc. *τὴν βάλανον*), *ἵνα μὴ κατέλθῃ εἰς τὸ τρύπημα ἡ βάλανος καὶ ὕστερον ἐωσθεῖσα ἀνοιχθῇ*, quae verba in cod. Med. spatium paucarum litterarum sequitur. *καί* illud non recte se habere cum perspexisset Hercherus, interpolatoris ineptias tenere sibi videtur, qui scripserit *ὕστερον ὠσθεῖσα ἀνήχθη* vel *ἀνηνέχθη*, ut intellegeret *τὴν βάλανον*: coniectura igitur, cum et ipsum verbum et modum eius mutet, utitur, ut delenda haec esse demonstret. Quod vero in subiecti mutatione offendit, ideo male me habet, quod procul dubio, ut spatium in cod. Med. vacuum relictum demonstrat, ipsum subiectum illius enuntiati deperiit. Ad *τὴν βάλανον* autem verba, de quibus agitur, spectare non posse inde elucet, quod non pulsari debebat pessulus, sed promi ex *βαλανοδόκῃ* (cf. § 4, 6 al.) quoniam non intravit in foramen, quod in ipso muro est (*τρύπημα*), sed in illud tantum, quod in obice (*μοχλῷ*) est[80]). Sed mihi facilior via sanandi loci patere videtur, si scribatur *ἀλλ' ὕστερον ὠσθεὶς* (*α* per dittographiam insequentis litterae ortum) *ἀνοιχθῇ ὁ μοχλός*: [nam profecto custodi illi

---

[79]) Cf. pag. 62.

[80]) Cf. de his rebus edit. Turic. pag. 164—167, imprimis pag. 165 sub fin.

ad aperiendam portam nihil opus erat, nisi ut quassaret vel pulsaret obicem. Similiter iam Turicenses lacunam codicis expleverunt scribendo *ὠσθεῖσα ἀνοιχθῇ ἡ πύλη*, cui medelae id unum obstare puto, quod non ipsa tota porta pulsatur vel concutitur, sed solus obex. — Omnino vero, quod ad universam hanc Hercheri rationem spectat, non debebat ille delere, quae intellegere non poterat, ea de causa, quod intellegere non poterat.

ib. 9. de proditorum dolo narratur: *προκαθέντες ἐν τῇ ἡμέρᾳ εἰς τὴν βαλανοδόκην λινοῦ λεπτοῦ καὶ ἰσχυροῦ βρόχον καὶ τὰς ἀρχὰς ἔξω ἐάσαντες* (Herch. pro *οὔσας*) *ἀφανεῖς, ὡς ἐν τῇ νυκτὶ ἐνεβλήθη ἡ βάλανος, ἀνέσπασαν* (Casp. Orell. pro *ἀνέσπασεν*) *τὰς ἀρχὰς τοῦ λίνου τὸν βρόχον καὶ τὴν βάλανον.* Quae sic fere vertamus: „Cum die in pessuli foramen antea fili subtilis et firmi laqueum demisissent, fili autem capita extra pendere sivissent, postquam nocte pessulus immissus est, fili capita, laqueum pessulumque retraxerunt.“ Voces *τὰς ἀρχάς* in marginem rescribendas esse Hercherus censet his usus argumentis: „Cum pessulus non laquei capitibus ex *βαλανοδόκῃ* pendentibus, sed ea laquei parte levetur, quae in illum (sic) immittitur, *τὰς ἀρχάς* apparet delendum esse.“ Sed cur, si ita se res haberet, proditores fili capita et ipsa non in *βαλανοδόκην* immiserunt? Immo adstrictis fili capitibus laqueus et, cui circumdatus est, pessulus retrahitur. Quamobrem voces *τὰς ἀρχάς* non eiciendas, sed, quod insuper ipsa verborum collocatio ostendit, *ταῖς ἀρχαῖς τοῦ λίνου* scribendum esse in propatulo est.

XX, 2 post verba *ἔπειτα τὸν μοχλὸν σεσιδηρῶσθαι* iniuria Hercherum expunxisse *διὰ μήκους* Sauppius pag. 744 docet, qui ipse conicit *διὰ μήκους ὅλου.*

ib. 4 Hercherus in verbis *οὕτω μεγάλα τε καὶ σεσιδηρωμένα πάντα κλεῖθρα* eiciendum censet *πάντα*, quod „vitiosa sint vocabula *πάντα κλεῖθρα*, quae certe *πάντα τὰ κλεῖθρα* scribenda essent.“ Sed quam futilis haec causa sit, inde satis apparet, quod saepissime in Med. cod. articulus omissus

est, saepe similes litterae similibus aut antecedentibus aut sequentibus exciderunt [81]). Neque opus est cum Hugio scribere *πάντῃ τὰ κλεῖθρα*, sed simpliciter restitui debet *πάντα τὰ κλεῖθρα* (vernacula: „alle schliesseinrichtungen").

XXIV, 2 Aeneas postquam cavendum esse dixit, ne cum ambiguitate tessera daretur, si unius rei duplex nomen exstaret, eiusmodi quibusdam exemplis allatis pergit verbis: *ἅπερ δυςμνημόνευτά ἐστι παρὰ τὰ νομιζόμενα ἑκάστῳ ἔθνει* (sic emendavit Casaubonus recte illud, quod traditum est *ἔθει*) *τῶν ἀνθρώπων καὶ βλάβην φέρει, ἐὰν κατὰ γλῶσσάν τις παραγγέλλῃ καὶ μὴ κοινότατα πᾶσιν.* Ad quae Hercherus deletis verbis *παρὰ τὰ νομιζόμενα ἑκάστῳ ἔθνει τῶν ἀνθρώπων* annotat: „Et hic emblema sustuli: scripserat interpolator *ἔθη*." Sed minime ei assentiendum videtur: nam in verbis *παρὰ τὰ νομιζόμενα ἑκάστῳ ἔθνει τῶν ἀνθρώπων* causa inest, cur illa difficilia ad reminiscendum sint, cum certe non per se *δυςμνημόνευτα* sint, sed eo quod a l i t e r a l i a e gentes eandem rem appellabant. De causali usu praepositionis *παρά* cf. pag. 47. Spectant praeterea ad haec verba ea, quae sequuntur: *βλάβην φέρει, ἐὰν κ α τ ὰ γ λ ῶ σ σ ά ν τ ι ς παραγγέλλῃ καὶ μὴ κοινότατα πᾶσιν.* Unde vero Hercherus potuerit colligere, *ἔθη* scripsisse interpolatorem, quem statuit esse, prorsus nescio. Rursus igitur in textum recipienda sunt verba ab Herchero exstincta.

ib. 5. Servum Iliacum, qui noctu saepius praedandi causa ex urbe exisset, a Charidemo Ilion obsidente corruptum esse, ubi narravit Aeneas, pergit: *μεθ' ἵππου δ' ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐξελθεῖν* [82]), *ἵνα αἱ πύλαι αὐτῷ ἀνοιχθεῖεν, ἀλλὰ μὴ κατὰ τὴν δ ι ά λ υ σ ι ν ἢ τὴν ἐκτομάδα πυλίδα, ὥςπερ εἰώθει εἰς-ε λ θ ώ ν.* Quae verba mendosa esse cum appareat, Turicenses pro *διάλυσιν* proposuerunt *διάβασιν*, Meinekius *διήλυσιν*, Hertlinus *διάδυσιν*, qua voce ipsam *τὴν ἐκτομάδα πυλίδα* significari opinatur, ita ut verba *ἢ τὴν ἐκτομάδα πυλίδα* ad *διάδυσιν* inter-

[81]) Cf. pag. 62 med.; 61 med.

[82]) De verbis *ἐν τῇ νυκτί*, quae hic sequuntur, cf. Herch. annot.

pretandum addita esse ab aliquo existimanda sint. Sed Turicensium illud *διάβασιν* ad sensum aptum non est, *διήλυσιν*, quod Meinekius scribi vult, apud Apollonium Rhodium demum invenitur: et quamquam poetarum posteriorisque aetatis propria vocabula apud Aeneam occurrunt, coniectura tamen nova eiusmodi in textum eius inferenda non sunt. *Διάδυσις* denique numquam hac, quam Hertlinus inesse vult, notione reperitur. Praeterea nemo illorum verbum finitum satis aptum restituit. Quod equidem e *διάλυσιν* voce facili opera erui posse credo: primitus enim scriptum fuisse suspicor *διαδύοιτο* litterarum ductu simillimum ei, quod codex praebet: *ΔΙΑΔΥΟΙΤΟ-ΔΙΑΛΥCΙΝ* (nam Mediceum cod. non ita procul abesse a libro maiusculis litteris exarato pag. 62—63 diximus. Cf. etiam Herch. annot. pag. 92 edit). In sententiarum conexum optime hoc quadrare et per se satis patet, cum i l l a b e n d i notio requiratur, et confirmatur verbis Thuc. IV, 110 *ἐςκομίζουσι παρ' αὐτοὺς ἄνδρας ψιλοὺς ἑπτὰ, — οἳ διαδύντες διὰ τοῦ πρὸς τὸ πέλαγος τείχους καὶ λαθόντες τοὺς ἐπὶ τοῦ ἀνώτατα φυλακτηρίου φρουροὺς διέφθειραν.* Nec levius, quod apud Thucydidem invenitur, Aeneae eius imitatori tribuitur. Ita igitur legendum propono: *μεθ' ἵππου δ' ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐξελθεῖν, ἵνα αἱ πύλαι αὐτῷ ἀνοιχθεῖεν, ἀλλὰ μὴ διαδύοιτο κατὰ τὴν ἐκτομάδα, ὥςπερ εἰώθει εἰςελθεῖν.* Vocem *πυλίδα* ad *ἐκτομάδα* illud, quod apud Aeneam unum invenitur, interpretandum in margine adscriptam fuisse puto: cf. XXVIII, 2.

Errat autem Hercherus, cum dicit: „Hanc sententiam aut ita exprimi oportebat *ἐκέλευσε δ' αὐτὸν ἐξελθεῖν οὐ διὰ τῆς ἐκτομάδος, ἀλλὰ μεθ' ἵππου, ἵνα αἱ πύλαι αὐτῷ ἀνοιχθεῖεν* aut simpliciter hoc modo *μεθ' ἵππου δ' ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐξελθεῖν, ἵνα αἱ πύλαι αὐτῷ ἀνοιχθεῖεν,* quae verba absolutam et plenam per se prolata sententiam efficiunt. — sed nihil vidi puerilius quam haec (sequuntur quae tradita sunt).“ — At vero nondum ab Aenea cum lectoribus communicatum erat, servum antea per portulam illam egressum esse sine equo et per eandem rursus irrepsisse quasi in urbem: ac, si deessent,

quae Hercherus deleta vult, certe miraremur, quonam modo antea ille portis ei non apertis ex urbe exierit et praeda onustus intraverit. Praeterea qui locum ita, ut Hercherus vult, constitutum legit, non potest non cogitare Charidemi interfuisse, ut egredienti servo portae aperirentur, quod perversum esse patet. Contra si emendata verba ita, ut proposui, retinentur, optimus sensus efficitur: cum equo iussit eum egredi, ut portae ei (scil. cum exeunti tum redeunti cum Charidemi militibus) aperirentur, neve, ut solitus erat intrare, per portulam illaberetur.“

XXV, 4. Verba *ἢ ἔχειν ἐν τῇ χειρὶ ἄραντα* minus apte ab Herchero eiecta esse Sauppius l. l. pag. 746 edocuit. Recte Hercherus delet *ἢ ἀνελέσθαι* voces, quae ad interpretanda priora illa procul dubio in margine appictae fuerunt.

XXVI, 8 quae Hercherus post *καθιστάναι* sustulit, *εἰκὸς δὲ ὅταν εὑρεθῇ αἰσχρόν τι ποιῶν ἀθυμεῖν*, idem Saupius p. 747 *ποιῶν* in *ποιοῦν* mutato recte se habere demonstravit.

XXIX, 4—5 Mediceus praebet: . . . *εἰςεκομίσθησαν θώρακες λινοῖ . . . ἐν κιβωτοῖς ὡς φορταγωγοῖς κατεσκευασμέναις, ὥςπερ οἱ ἐλλιμενισταὶ ἀνοίξαντες καὶ ἰδόντες ὡς ἱμάτια μόνον κατεσημήναντο*: Hercherus verba *ὡς ἱμάτια μόνον*, quod nec cum *ἰδόντες* illo, quod praecedit, nec cum *κατεσημήναντο* verbo coniungi possint, in marginem relegat. Sed ne possunt quidem haec verba omitti, cum accuratior definitio verbi *κατεσημήναντο* omnino desideraretur, si nude illud positum esset. *ὡς* vero mea quidem sententia recte se habet: nam ea vocula demonstratur, secus ac verum erat, publicanos statuisse, cum ex eorum opinione vestimenta, revera arma quoque in capsis inessent (ut vernacula loci sententiam exprimam: „sie declarirten dieselben als (ihrer meinung nach) nur maentel enthaltend“).

XXXI, 1 quae post verba *ἐπιστολῶν δὲ κρυφαίων παντοῖαι μέν εἰσι πέμψεις* tradita sunt *προσυγκεῖσθαι δὲ τῷ πέμψαντι καὶ δεχομένῳ ἰδίᾳ* Hercherus quidem delet. Sed etsi forsitan haec sententia possit suppleri ex rerum conexu, minime tamen offendunt illa verba: an ineptum quis putat

Aeneam dicere, debere convenire inter eum, qui epistulam mittat, et eum, qui accepturus sit, de occulte mittendi ratione? Quod vero articulus ante *δεχομένῳ* verbum deest, ut interpolatori tribuatur enuntiatum non potest efficere: nam idem in Med. cod. plus quadraginta aliis locis comment. poliorc., quos profecto nemo ob eam rem in suspicionem vocavit, factum est. Quare equidem sic scribam § 1: *ἐπιστολῶν δὲ κρυφαίων παντοῖαι μέν εἰσι πέμψεις, προσυγκεῖσθαι δὲ* (sc. *τὰς πέμψεις*) *τῷ πέμψαντι καὶ τῷ δεχομένῳ ἰδίᾳ· αἱ δὲ μάλιστα λανθάνουσαι τοιαίδε ἂν εἶεν.*

ib. 9 post *ἐνέῤῥαψεν* leguntur haec: *ἐγένετο δὲ περὶ ἐπιστολὴν τοιόνδε. πόλεως γὰρ πολιορκουμένης ἐπεὶ παρῆλθεν ἔσω τῆς πόλεως ὁ κομίζων τὰς ἐπιστολάς, τῷ μὲν προδιδόντι καὶ προςέφερεν οὐκ ἀποδίδωσιν, πρὸς δὲ τὸν ἄρχοντα τῆς πόλεως ἦλθεν μηνύων καὶ τὰς ἐπιστολὰς ἐδίδου. ὁ δ' ἀκούσας ἐκέλευεν ταύτας μὲν τὰς ἐπιστολάς, οἷς ἔφερεν ἀποδοῦναι, τὰς* (Casaub. pro *τά*) *δὲ παρ' ἐκείνων, εἰ ἀληθές τι μηνύει, παρ' αὐτὸν ἐνεγκεῖν. καὶ ὁ μηνύων ταῦτ' ἔπραξεν. ὁ δὲ ἄρχων λαβὼν τὰς ἐπιστολὰς καὶ ἀνακαλεσάμενος τοὺς ἀνθρώπους τὰ σημεῖά τε ἐδείκνυεν τῶν* (*καί* falso Med.) *δακτυλίων, ἅπερ ὡμολόγουν αὐτῶν εἶναι, καὶ λύων τὰ βιβλία ἐδήλου τὸ πρᾶγμα. τεχνικῶς δὲ δοκεῖ φωράσαι, ὅτι τὰς πεμπομένας παρὰ τοῦ ἀνθρώπου οὐ κατέλαβε* (Turicens. pro eo, quod Med. praebet, *ὅτι καὶ ἔλαβε*)*· ἦν γὰρ αὐτοῖς ἀρνηθῆναι καὶ φάσκειν ἐπιβουλεύεσθαι ὑπό τινος· τὰς δ' ἀνταποστελλομένας λαβὼν ἀναντιλέκτως* (Med. *ἀντιλέκτως*) *ἤλεγξεν.* — Quam narrationem Hercherus ad interpolatorem reicit, quod plane incredibile sit Aeneam exemplorum ordinem ita turbasse, ut propriis ac legitimis exemplis infulciret hoc, cui nihil cum ceteris commune sit. Praeterea summam sermonis infantiam demonstrare haec verba Aeneae tribuenda non esse: male enim singulares *τὴν ἐπιστολήν* et *τῷ προδιδόντι* sequi plurales *τὰς ἐπιστολάς* et *τοὺς ἀνθρώπους*, male verbis *ἦλθε μηνύων καὶ τὰς ἐπιστολὰς ἐδίδου* respondere *ὁ δ' ἀκούσας:* ipsa denique formula *τεχνικῶς δὲ δοκεῖ* additamentum demonstrari.

Ac recte quidem ostendit haec verba aliena esse ab eo,

ubi tradita sunt, loco. Neque vero poterit docere, quonam consilio illa interpolator hicce apposuerit, quippe in quibus non de nova ratione litterarum secreto mittendarum, sed de fraude nuntii agatur, neque usquam totae narrationes ab interpolatore ad ipsius Aeneae verba illustranda adiectae sunt. Quapropter mihi aliter de hoc loco statuendum videtur. Atque ut statim dicam, quid sentiam, equidem haec excidisse puto post § 5. Quartae paragraphi initium excidit; fuit autem procul dubio eius sententia haec: „Si nuntio non satis confidit is, qui epistulam mittit, sique ideo necesse est, nuntium impediri, quominus aliis, quam iis, ad quos missus est, litteras tradat, ita res instituenda est, ut § 4 et 5 praecipitur.“ Ex consuetudine autem sua scriptor, ut illustret, quanto cum damno neglegentium praecepta sua neglegantur, exemplum adicit detectae fraude nuntii proditionis. Atque hoc ipso, nec forte alio loco reponenda esse verba illa vel inde elucet, quod § 4 et 5 longe alia litterarum mittendarum ratio praecipitur quam aliis omnibus huius capitis locis: nam cum alibi semper in eo ipso, quod deferendum nuntio mandatur, epistula insit, hic clam ipso nuntio ea, quae periculum ferre possunt, deferuntur, clam ipso et inseruntur et promuntur ex calceamentis, palam mandantur, quae unusquisque inspicere potest nullo cum damno nec eius, qui misit nuntium, nec eius, ad quem missus est.

Praeter sententiam ea, quam proposui, ratio externis quoque causis commendatur. Nam — ne dicam de ordine verborum saepius in comment. poliorc. textu mutato — ita illa verba sede sua amota esse puto, ut olim librarius, cum ea suo loco omisisset, id quod etiam in scriptoribus, quorum memoria melioribus codicibus nititur, non semel factum esse constat, postea ea in margine libelli sui (vel alibi) adiecerit, annotans ea inserenda esse post illud exemplum, ubi de insuenda epistula agatur: qui vero illius codicem descripsit, is ea non illic, ubi debebat, sed post ἐνέῤῥαψεν posuit, argumenti simul et verborum similitudine (ἐγκαταῤῥαπτέσθω —

ῥαφάς § 4 et 5, *ἐνέῤῥαψεν* § 9) de genuina sede exploranda deceptus. — (Ceterum cf. pag. 202 de XXXIII, 3).

Quod vero Hercherus sermone ipso additamentum demonstrari putat, valde fallitur, cum compluribus mendis verba tradita deturpentur. (Omnino autem ea) quibus hoc argumentum fulcire studuit, in tam malo codice non multum valent.) Lenissimis mutationibus adhibitis et *ἐπιστολήν* in *ἐπιστολάς* et *τῷ προδιδόντι* in *τοῖς προδιδοῦσι* corrigitur, cum complures epistulas ad complures proditores missas esse ipsa ea, quae sequuntur, demonstrent. *ἀκούσας* vero prorsus recte se habet, quoniam praefectus urbis non aperuit litteras et inspexit, sed ipsius nuntii verbis certior factus est inesse hostilia. — Pro *καί* illo, ut hoc statim moneam, ante verbum *προςέφερεν* *οἷς* substituendum esse, ita ut ad voces *τοῖς προδιδοῦσι* spectet, ipse sententiarum conexus ostendit: mendosum esse locum signo ꞔ super *προςέφερεν* posito indicatur: cf. pag. 64 extr. — 65.

Interpolatoris sunt sola verba *τεχνικῶς δὲ δοκεῖ* — *ἤλεγξεν*, quorum ipsa natura demonstrat addita ea esse a garrulo rhetore, antiquissimo illo, ut videtur, comment. poliorc. interpolatore[83]), qui saepius talibus laudibus exempla vel praecepta ab Aenea prolata ditavit: ut vero alibi, ubi additamenta formula *τεχνικῶς δὲ δοκεῖ* simil. incepta exstant, ita nostro loco minime ex interpolatoris verbis profecti omnia, quae praecedunt, expungere debemus, quae cur ibi, ubi tradita sunt, de industria adiecta sint, nemo perspicere potest.

ib. 10. Mediceus exhibet *κύστιν ἰσομεγέθη ληκύθῳ ὁπόση ἀντιβούλει πρὸς τὸ πλῆθος τῶν γραφησομένων φυσήσας* — *ξηρᾶναι*. Verba *ὁπόση ἀντιβούλει πρὸς τὸ πλῆθος τῶν γραφησομένων* audacius Hercherus exstinguit: nam si lenissima mutatione adhibita scripseris *ὁπόσην* vel, id quod Turicenses proposuerunt, *ὁπόση ἂν βούλῃ*[84]) *πρὸς τὸ πλῆθος τῶν γραφησομένων*, quomodo haec aliena sint a sententiarum conexu non videbis.

---

83) Cf. pag. 94 fere med. pag. 183 in.

84) Cf. pag. 63 extr. — 64.

In iis, quae post § 14 Hercherus expungit: *λέγεται δὲ καὶ εἰς πυξίον γράψαντα μέλανι ὡς βελτίστῳ ἐᾶν ξηρανθῆναι. ἔπειτα λευκώσαντα ἀφανίζειν τὰ γράμματα. ὅταν· οὖν ἀφίκηται παρὰ τὸν πεμπόμενον λαβόντα εἰς ὕδωρ θεῖναι τὸ πυξίον. φανεῖται οὖν ἐν τῷ ὕδατι ἀκριβῶς πάντα τὰ γεγραμμένα,* mendum inesse luce fere clarius est. Sive enim Aeneas seu quis alius haec conscripsit, post verbum *λέγεται* et infinitivos aoristi ponere debebat, nec poterat *ὅταν* scribere sed *ὅτε*, nec *φανεῖται* sed *ἐφάνη:* praeterea subiectum totius narrationis non poterat omittere. Nullo igitur modo *λέγεται* verbum ferri posse apparet, nisi forte quis sibi finxerit, hoc quidem recte traditum, omnia alia corrupta esse: quomodo autem sit corrigendum, haud difficile est intellectu. Collatis enim verbis XXII, 19 restituendum est *ἀγαθόν*, litterarum ductu simillimum, quo restituto optime omnia procedunt: nec subiectum desiderari in hoc praecepto sexcenti similes loci apud Aeneam edocent.

Sed videamus iam, cur Hercherus illa verba delenda censeat. Primum oratio exsanguis ei displicet: sed num tam simplex res poterat rhetoricis ornamentis exornari? Nonne, si hoc „exsangue" esset, aeque exsanguia plurima alia praecepta exemplave in hoc capite, ut alia omittamus, prolata essent putanda? Neque deinde tam similis est hic locus insequenti exemplo, ut ex illo eum haustum esse cum Herchero credamus, nam sat multa exstant, quibus inter se differant, id quod facile perspectis Aeneae verbis intelleges. Certe multo simplicior est haec ratio quam ea, quae §§ 15—16 exponitur, qua in simplicitate ipsa cum offendit Hercherus, iusto longius procedit. Nec denique, quoniam alias causas, quibus usus Hercherus interpolatori tribuit verba, futiles esse demonstravimus, unum illud *παρὰ τὸν πεμπόμενον* sufficit, unde profecti omnia ab Aenea abiudicare debeamus: simili modo *πλὴν τῷ πεμπομένῳ* in § 2 irrepsit, quem ipsum locum non delevit Hercherus una cum his verbis. Ipsum Aeneam, aut suspicor scripsisse *ὅταν οὖν ἀφίκηται παρ' ὃν δεῖ* (cf. § 2; 4; 13; 14), postea voces *παρ' ὃν δεῖ* interpo-

latoris ineptiis sede sua detrusas esse, aut ne verba παρ' ὃν δεῖ nimis saepe repeterentur simpliciter dixisse ὅταν οὖν ἀφίκηται, ad quae interpolator, addendum esse aliquid ratus, verba παρὰ τὸν πεμπόμενον apposuit. Sic igitur scripta verba: ἀγαθὸν δὲ καὶ εἰς πυξίον γράψαντα μέλανι ὡς βελτίστῳ ἐᾶν ξηρανθῆναι, ἔπειτα λευκώσαντα ἀφανίζειν τὰ γράμματα. ὅταν οὖν ἀφίκηται (παρ' ὃν δεῖ), λαβόντα εἰς ὕδωρ θεῖναι τὸ πυξίον. φανεῖται οὖν ἐν τῷ ὕδατι ἀκριβῶς πάντα τὰ γεγραμμένα, rursus in textum recipienda censeo, quippe quae bonum sensum neque ullam offensionis ansam praebeant.

XXXIII, 4 Aeneas portis urbis ab hostibus incensis ligna apportanda et quam maximum ignem incendendum esse dicit, quo hostes ab intranda urbe arceantur, donec cives fossam duxerint. Sequuntur in Mediceo verba aperte mutila καὶ ἂν τι δέῃ ἐκ τῶν σοι συνυπαρχόντων τάχιστα εἰ δὲ μὴ ἐκ τῶν ἐγγύτατα οἰκιῶν καθαιροῦντα, quae Hercherus e textu removit. Sed profecto illa corruptiora sunt, quam de quibus tale iudicium ferri possit. Videtur haec sententia subesse: „Si quid opus est ad ignem maximum efficiendum, illud ex domibus proximis vel aliis, quae in propinquo sunt, rebus quam celerrime est corripiendum," quae certe minime Aenea indigna est. Sed quomodo singula constituenda sanandaque sint, non reperio: quamobrem integrum de corrupto loco iudicium reservari[85]) quam expungi, quae non ita explicari et intellegi possunt, ut non dubitatio maxima remaneat, malim. De καθαιρεῖν verbo cf. Thuc. II, 75 πλίνθους ἐκ τῶν ἐγγὺς οἰκιῶν καθαιροῦντες.

De iis, quae Hercherus XL, 7 delet, postea agendum videtur: cf. pag. 100 extr. — 105; item de XXXVIII, 3: cf. pag. 144—145.

Iam ab iis, quae iniuria ab Herchero in marginem relegata esse credo, pergamus ad ea, quae in editionis textu

---

[85]) Nisi exstarent verba ἐκ τῶν σοι συνυπαρχόντων τάχιστα εἰ δὲ μή, sic scribendum locum censerem: καὶ ἂν τι δέῃ, ἐκ τῶν ἐγγυτάτω οἰκιῶν καθαιρεῖν; sed delere illa, quae quid significent ignoro, non ausim.

retinuit quidem, sed in suspicionem minus bene meo iudicio vocavit. Quo referendi sunt hi loci:

IV, 7 post verba *τοῖς δὲ μὴ οὕτω πράττουσιν ἃ συμβέβηκεν ἐμφανισθήσεται ἐκ* (deest in cod. Med.) *τῶν ἤδη γενομένων* interpolatori tribuenda censet *ἵνα ἐπὶ παραδείγματος καὶ μαρτυρίου καθαροῦ παραλέγηται.* Turicenses emendare locum sibi visi sunt scribendo *ἂν τῶν ἤδη γενομένων ἓν ἐπὶ παραδείγματος καὶ μαρτυρίου καθαροῦ προςλέγηται:* sed non est cur *ἵνα* tollatur. Quare equidem legendum proposuerim locum: *τοῖς δὲ μὴ οὕτω πράττουσιν, ἃ συμβέβηκεν, ἐμφανισθήσεται ἐκ τῶν ἤδη γενομένων, ἵν' ἓν ἐπὶ παραδείγματος καὶ μαρτυρίου καθαροῦ προςλέγηται* vel *παραλέγηται,* nam hoc ipsum ab Aenea, qui saepissime rariora vocabula amplexus est[86]), fortasse non est abiudicandum: significaret hoc loco „beilaeufig“ vel „nebenbei erzaehlen.“ Cur vero illa verba „non deceant“ Aeneam, non video, cum bene in sensum quadrent, nec ipse Hercherus exposuit. Similis sententia invenitur XI, 2 *ῥηθήσονται δὲ ἑξῆς αἱ ἐπιβουλαὶ . . . π α ρ α δ ε ί γ μ α τ ο ς ἕ ν ε κ α.* Quod Hugius Hercheri suspicionem secutus verba delet, certe nullius momenti est ad illius sententiam stabiliendam.

Nec meliore iure Hercherus VII, 2 *οὖν* vocem ab interpolatore additam putat, quae offensionis ansam non praebet. Quare Hugius voculam retinet in textu editionis.

Cur ib. 4 verba *ὡς αἴρειν τοὺς φρυκτούς,* quae ad cap. VI, (4 *ἄλλους ἐπ' ἄλλοις διαδεκτῆρας εἶναι τῶν αἰρομένων σημείων*) et VII, 2 (*σημαίνεσθαι ὑπὸ διαδεκτήρων*) spectant, pro additamento habeat, vix quisquam intelleget.

XXI, 2 leguntur haec: *τὰ μὲν πολλὰ ἐν τῇ Στρατοπεδευτικῇ βίβλῳ γραπτέον* (Hercherus *γέγραπται:* idem hic suo iure delet verba *ὃν τρόπον δεῖ γενέσθαι*), *ὀλίγα δὲ αὐτῶν καὶ νῦν δηλώσομεν.* Ad quae cum Hercherus annotasset: „*αὐτῶν*] aut delenda haec vox aut ante eam inserendum *περί*“, Hugius *αὐτῶν* illud sustulit. Sed quam male hi structuram intellexerint, in aperto est: referendum enim est vocabulum *αὐτῶν*

[86]) Cf. pag. 31—34 in.

ad *τὰ πολλά* illa, quae praecedunt, genetivus autem ab *ὀλίγα* pendet. Ne una igitur quidem litterula mutata *αὐτῶν* conservandum est.

Eodem modo XXII, 7 spreta Hercheri suspicione, cuius assensorem Hugium habet, *πάντα* vox ante *μεθιστάναι* defendenda est. Quid enim offendit in verbis *ὡς πυκνότατα πάντα μεθιστάναι τὰ περὶ τὴν πολιτοφυλακίαν*? De vocubulorum collocatione cf. pag. 42—43 (cap. I, C, II, 3, a.)

XXIII, 2 tradita sunt verba: *τούς τε τῶν κυνῶν ὑλαγμοὺς καὶ τῶν ἀλεκτρυόνων τὰς φωνὰς ἀφανίζειν ἄφωνα ποιοῦντα τόνδε τὸν καιρὸν, ἐπικαύσαντά τι τοῦ σώματος· καὶ γὰρ αἱ τούτων φωναὶ ὄρθρου φθεγγόμεναι ἐκφαίνουσι τὸ μέλλον.* Ut lateant oppidani ex oppido egredientes ad eruptionem clandestinam nocte in hostes faciendam et alia Aeneas praecipit et, ut Casauboni versionem sequar, haec: „Latratus item canum et gallorum gallinaceorum cantus de medio tollendi et parte aliqua corporis (melius quam „corpore") inusta vox illis eo tempore adimenda. Nam haec animalia diluculo vocem edentia futuri dant significationem." Complures medelas Hercherus loco attulit: nam recte verba *ἄφωνα ποιοῦντα* ut a posteriori quodam ad explicandam vocem *ἀφανίζειν* addita in marginem rescripsit recteque loco nominativi *φθεγγόμεναι* genetivum[87]) masculini generis *φθεγγομένων* ad vocem *ἀλεκτρυόνων* referendum posuit, denique *ἐκφαίνουσι* ex *ἐκφανοῦσι* corruptum esse intellexit. Nulla vero de causa eum *ᾠδάς* vocem pro ea, quam Mediceus praebet, *φωνάς* posuisse Sauppius l. l. pag. 746 docet. Sed omnia haec leviora sunt. Multo gravius mendum in verbis *καὶ γὰρ — τὸ μέλλον* inest. Si enim recte tradita codicibus haec verba putaremus, concedendum esset, minime ea repugnare Reiskii parum honorifico de Aenea iudicio[88]), abhorrere maxime a reliqui Aeneani sermonis perspicuitate, cum quid significent, intellegi omnino

---

[87]) Per errorem Hugius pag. 26 proll. critt. e contrario Hercherum *φθεγγόμεναι* ex *φθεγγομένων* voce correxisse dicit.

[88]) Cf. edit. Hercher. pag. 128.

non possit. An galli mane cantantes insoliti aliquid fieri enuntiare ab Aenea credebantur? Quod quoniam vix quisquam contendet, equidem facere non possum, quin mendosa esse verba *φωναὶ ὄρθρου φθεγγομένων* putem. Persuasum enim mihi est Aeneam scripsisse *πρὸ ὄρθρου,* ex his verbis, id quod facile etiam in melioribus libris manu scriptis poterat fieri, corruptum esse *προόρθρου,* deinde litteras *πρ* a librariis aut neglegentia aut loci emendandi studio omissas esse, quod quominus existimetur codicum huius libelli natura minime impedit. Recepta autem in textum vocula *πρό* sensum optimum et clarissimum reddi, cum eluceat gallos nocte, ante diliculum, cantantes prodere novi aliquid fieri, cuius strepitu ex somno excitentur, nemo, opinor, negabit.

Locus si ita scribitur, futilia videntur, quae Hercherus[89]) et Hugius[90]), ut interpolata esse verba *καὶ γὰρ — τὸ μέλλον* edocerent, protulerunt. Stultissimum enim interpolatorem, cum Aeneas docuerit periculum esse, ne insolito nocturnarum expeditionum strepitu excitati aut canes aut galli media iam nocte latratu et cantu suo, quid novi gereretur, proderent, his, de quibus agitur, verbis, quid mane fieri soleret, exposuisse putant. Fabricatum autem eum esse sua ex § 1 fine: *ἵνα μὴ ὁ ὑπὲρ τῆς πόλεως ἀὴρ πυρωδέστερος ὢν τοῦ ἄλλου ἐκφήνῃ τὸ μέλλον.* Sed profiteor nimiae stultitiae eos interpolatorem illum, quem statuunt, mihi arguere videri. Num enim, qui tacticis eiusmodi scriptis tractandis operam dedit, potuit incredibili illa inscientia esse, ut pro insolito haberet, gallos mane cantare, tantaque stoliditate, ut, cum Aeneas summam in verbis *ἐπεξόδους δὲ ποιούμενον λαθραίους ἐν νυκτί* vim posuisset, nihilominus diceret, mane cantantes gallos, quid in animo esset oppidanis, prodere? Contra, ut secuti utriusque suspicionem verba interpolatoris esse putemus, attamen *πρό* verbum excidisse statuendum est. Tum autem quae sunt causae, de quibus locum illum eiciamus,

---

89) Cf. Hermae vol. VII, pag. 242.

90) Cf. proll. critt. pag. 26.

cum nullo modo neque a conexu sententiarum neque ab Aeneae sermone abhorreat? Id profecto nullius momenti est, quod Hugius interpolatorem usitatissima illa postrema verba ex fine § 1 mutuatum esse dicit: neque enim tanta elegantia Tacticus ille Aeneas usus est, ut sibi non licere putaverit eadem verba paucis enuntiatis interpositis repetere[91]).

XXVIII, 6 cum Herchero verba *κατὰ Ἑλλήςποντον* a glossatore profecta esse visa essent, Hugius illa expunxit. Sed qui aequo iure contenderet XVIII, 13 verba *ἐν Ἰωνίᾳ* ante *Τέως πόλις* vel XXXI, 34 *τῆς τε Λέσβου* ante *ἐν Μυτιλήνῃ* vel alia eiusmodi interpolatoris esse, certe ab omnibus vituperaretur. Quamobrem etiam vocabula *κατὰ Ἑλλήςποντον καταλαμβάνων Πάριον* intacta relinquamus, quippe quae per se spectata omni suspicione libera sint.

XXXVII, 9 verbis *ἔπειτα οὕτως ἐπισυνδεῖν ἄλλα ξύλα καὶ ῥίπας καὶ ἄλλα φράγματα* (Herch. *σάγματα*) *ἐπάνω* Hercherus alterum *ἄλλα* male ex proximis repetitum putat, Hugius delet. Meinekius prius *ἄλλα* in *ἅμα* mutandum censet. Sed melius mea sententia scribetur *ἄλλα ξύλα καὶ ῥίπας καὶ ἅμα σάγματα*, „alia ligna et texta viminea simulque stragula iniecta colliganda sunt.“ De *ἄλλα* et *ἅμα* confusis cf. pag. 63.

De his cum dissentiam ab Herchero, recte eum statuisse[92]) puto de iis, quae eicit:

prooem. 1 (*καὶ πατρίς*); — I, 2; 8 (quae post *τείχη* extant); II, 2; 6; 8; III, 6; IV, 2; 3; 9 (*ἐκράτησε καί*); 11 fin.; VI, 4 (*τόποις*); VII, 3 (*καὶ καθιστάναι*); VIII, 2 (*εἰς τούτους*); 4; 5; X, 4 (*ἢ ἐν βουλῇ*); 8 (*προςηγγέλθαι*); 11 (*ἐν αὐτοῖς*); 15; 16 (*δυναστεύοντι*); 20 (*αὐτούς*); 21; 26; XI, 5 fin; 7; 10; XV, 4 (*καὶ ἐν τάχει μέχρις οὗ ἱκανοὶ δοκοῦσιν ἐκ-*

---

91) Cf. pag. 49.

92) Verba ipsa expuncta affero, ubi vel in eadem § alia quoque ab Herchero delentur, de quibus ab eo dissentio, vel singula tantum vocabula eiciuntur.

βεβοηθηκέναι); 9 (Orellium secutus); XVI, 2 (quoniam ipsi Aeneae hoc totum caput tribuit, nam interpolatorem illa non dedecent); 5 (*καὶ οἰνωθέντες* Meinekium secutus); 11; 14; 18 (*ὑμᾶς*); 19; 20; 21 fin; XVII, 4; 5; XVIII, 11 fin; 16 (*ἀψοφητί*); 22 fin; XX, 1 (*καὶ τὴν ἐπιμέλειαν*); XXI, 2 (*ὃν τρόπον δεῖ γενέσθαι*); XXII, 2; 4; 5 fin; 6 fin; 13; 14; 17; 27 (*τῶν στρατηγῶν*); XXIII, 5 fin; 6 fin; 11 fin; XXIV, 2 (*περὶ ἑνὸς εἴδεος δύο ὀνόματα οὐ τὰ αὐτὰ καὶ ἄλλοτε δέ*); XXVI, 9 (*χωρίου*); XXVII, 2 (*αἰσθήσονται*); 8; 15 (*οὕτω*); XXVIII, 7 fin; XXIX, 1; 2; 8; 10 (*καταλαβεῖν*); 12 (Hauptium secutus); XXX, 1; 2; XXXI, 1; 2; 3; 4 extr.; 8 (*πολέμιον*); 12; 17 (*διὰ γραμμάτων*); 31 extr. 33; 35 extr.; XXXII, 7; 12; XXXIII, 2 (*ἐσκευασμένον*); XXXVII, 7 extr.; XXXIX, 2; 6.

Suspectasse recte Hercherus videtur ea, quae deleri iubet:

X, 15 (*ἢ ἐπὶ βωμοῦ*); XI, 1 (*διὰ τάδε*); XXII, 11 extr.; 13 (*τῆς πόλεως*); XXIV, 18; XXIX, 4 (*ὅπλα*); XXXI, 23—24. Receptis Hercheri ceteris emendationibus equidem ibi in fine genuinorum Aeneae verborum ponam . . . *ἐπὶ τῷ ὤμῳ ἀνυπόπτως ἐκόμισαν*, ita ut interpolatori tribuam *ἀνύποπτος δὴ δοκεῖ εἶναι ἡ κομιδὴ τῆς ἐπιστολῆς κ. τ. λ.* De hoc genere additamentorum cf. Herch. annot. in pag. 89. Voces *ἀνυπόπτως ἐκόμισαν* propter similitudinem sequentium exciderunt. § 24 idem interpolator procul dubio adiecit, qui § 23 finem. Adiecta autem sunt illa ante annum a. Chr. n. trecentesimum quadragesimum sextum[93]). Neque vero potest me quisquam incusare, quod ipse mihi non constem, qui, cum de narratione illa, quam interpositam inter § 9 et 10 Hercherus delevit, ageretur, negaverim narrationes ab interpolatore ad ipsius Aeneae verba illustranda adiectas esse, hic libenter concedam, narratiunculam pro additamento esse habendam: nam huius narratiunculae longe alia ratio est, quoniam non ad Aeneae ipsius verba illustranda adscripta est, sed ut interpolator proprio exemplo illustret, recte se putare *τὰ εἰς-*

---

[93]) Cf. pag. 6 fin. — 7.

πεμπόμενα μετὰ ἐπιβουλῆς χαλεπὸν φυλάξαι. — ib. 28 *καὶ οὐκ εὔπορον ὂν γράμματα λαθεῖν φέροντα.*

II. De iis, quae Sauppius interpolatori tribuit.

Quomodo cum recte de plus nonaginta, minus bene de quadraginta sex locis Hercherus statuisset, Sauppius l. l. in recensendis illius editionibus, qua in dissertatione plurima vir doctissimus egregie diiudicavit, eidem, cui Hercherus, rationi addictus alios locos attulit, ubi emblema sibi visus est tenere. Neque vero ei de omnibus possum assentiri, sed retinenda mihi videntur, quae eicit:

IV, 2 *καὶ τὰς νύκτας* in verbis *φυλάσσων τὰς ἡμέρας καὶ τὰς νύκτας ἔλαθε νυκτὸς τὸν μοχλὸν διαπρίσας.* His argumentis usus (pag. 736) illas voces ad interpolatorem relegat: „Der gedanke kann nur sein, dass der verraeter die tage wol in acht genommen habe, nichts auffaelliges zu tun, des nachts aber fuer seinen zweck taetig gewesen sei. Daher ist wol *καὶ τὰς νύκτας* ein unnuetzer zusatz.“ Melius Hercherum verba intellexisse „diurnas ac nocturnas opportunitates observans“ praeter conexum sententiarum etiam *νυκτός*, quod statim sequitur, luculentissime ostendit. Quare Sauppii sententia stare non potest.

X, 6 Mediceus praebet *καὶ ἐάν τίς τινι τῶν φυγάδων συγγένηται ἢ παρ᾽ ἐκείνων τισὶν ἢ ἐπιστολὰς πέμψῃ ἢ δέξηται. εἶναί τινα κίνδυνον ἢ ἐπιτίμιον αὐτῷ.* Hercherus cum scripserit *ἢ δέξηται παρ᾽ ἐκείνου ἐπιστολὰς ἢ πέμψῃ* et in media via substitit neque iusta causa *τισὶν* voce deleta verborum *δέξηται* et *πέμψῃ* locum mutavit: emendanda sunt illa sine dubio lenissime sic: *καὶ ἐάν τίς τινι τῶν φυγάδων συγγένηται ἢ ἐπιστολὰς πέμψῃ ἢ παρ᾽ ἐκείνων τινὸς δέξηται.* Sed cum Sauppio (pag. 739) verba *ἢ παρ᾽ ἐκείνων τισὶν*, quae accuratius definiunt illud *δέξηται* et quorum postremum corruptum esse patet, pro additamento habere minime licet.

ib. 24 cum Hercherus tradita vocabula *ἐὰν δὲ ἄρα δυσχερὲς ᾖ μετὰ τῶνδε τῶν προφάσεων ἐκπέμπειν* scribendo *μετὰ εὐλόγων προφάσεων ἐκπέμπειν* emendare sibi visus sit, Sauppius

τῶνδε τῶν illa delenda censet (pag. 740). Sed non debebat in eum errorem incurrere, ut, quae intellegere non posset, ea expungeret: quid enim sibi voluisse putat eum, qui haec adscripserit, quae quo spectent, nemo scit? Contra emendanda sunt verba illa. Facilius vero quam Hercherus, etsi eius coniectura bonum sensum praebet, duabus primis litterulis mutatis corrigemus *μετὰ δυνατῶν προφάσεων* (*ΔΥΝΑΤΩΝ — ΤΩΝΔΕΤΩΝ*), vernacula „mit tunlichen vorwaenden," quae coniectura eo quoque aliquantulo magis commendatur, quod *μετά* apostropho, quae vocatur, non adhibita in cod. Med. exaratum est (quamquam hiatus saepius inveniuntur apud Aeneam). Potest vero corruptela illa aurium quoque lapsu orta cogitari, nam facile *τῶνδε τῶν* pro *δυνατῶν* audire poterat is, qui scribebat, librarius[94]).

XVII, 3 inveniuntur verba *καὶ ἐγένετο πρὸς τῷ νεῷ τε καὶ τῷ βωμῷ οἱ μὲν πολλοὶ τὰ ὅπλα θέμενοι ἀπωτέρω τοῦ νεώ πρὸς τὰς εὐχάς τε καὶ τὸν βωμὸν ὥρμησαν.* Quorum prima corrupta esse cum eluceat, Hercherus emendavit *καὶ γενόμενοι πρὸς κ. τ. λ.* Sauppius vero verba illa omnino retineri non posse ratus ea interpretandi loci causa adiecta esse conicit (pag. 737). Contra mihi *καὶ γενόμενοι πρὸς τῷ νεῷ* voces suspicione liberae, *τε καὶ τῷ βωμῷ* autem non tam ab interpolatore adiectae esse, quam per dittographiam vocabulorum *τε καὶ τὸν βωμόν* ex insequenti versu irrepsisse videntur[95]). Minime enim inter se repugnant *καὶ γενόμενοι πρὸς τῷ νεῷ* et *οἱ μὲν πολλοὶ ἀπωτέρω τοῦ νεὼ τὰ ὅπλα θέμενοι*, quae sic cohaerent, ut vernacula utar: „als sie bei dem tempel angekommen, legte die merzal in einiger entfernung von demselben die waffen nieder."

XXVII, 1 de panicis terroribus praecipere sic coepit Aeneas: *τοὺς δὲ περὶ πόλιν ἢ στρατόπεδον ἐξαίφνης θορύβους καὶ φόβους γενομένους νυκτὸς ἢ μεθ' ἡμέραν κ. τ. λ.* Verba *ἢ μεθ' ἡμέραν* audacius a Sauppio pro interpolatis haberi (pag. 736, ubi dicit: „ein unnuetzer zusatz zu dem vorher=

[94]) Cf. pag. 63—64.
[95]) Cf. pag. 60—61.

gehenden *νυκτός*, da die zeile 9 ff. (i. e. § 2 sq.) angegebenen vorkerungen nur fuer die nacht passen, und auch sonst mit dem panischen schrecken immer der begriff der nacht verbunden ist") docent, quae sequuntur § 3 *καθ' οὓς ἂν τῶν στρατιωτῶν γένηται ὁ φόβος, κατὰ χώραν τε ἠρεμεῖν*, nam apparet ea non posse intellegi nisi de proficiscente vel pugnante exercitu: itinera vero et pugnae plerumque per diem fiunt. Idem ostendunt verba § 4 *ἐνίοτε μὲν ἡμέρας, νυκτὸς δὲ καὶ πάνυ.*

ib. 7 Sauppius verba *εἰς τὴν νύκτα* nullo cum commodo sententiae delenda censet (pag. 736). Nec praeter eum quisquam in illis offendit.

XXXI, 14 ubi legimus *ἤδη δέ τις ἐν δέλτου ξύλῳ* (emend. Herch. pro *ἐν δέλτῳ ἐν ξύλῳ*, quod Med. cod. praebet) *γράψας κηρὸν ἐπέτηξε κ. τ. λ.*, Sauppius (pag. 749), quod Aeneas *ἐπέτηξε* pro eo, quod Herodotus, ex quo hoc exemplum ab Aenea petitum videtur, adhibuit, *ἐξέκνησε* usurpaverit, et quod Justin. II, 10 al. tabellis ligneis a Demarato et Hamilcare ceram infusam esse narret, eiectis *ἐν δέλτῳ* vocibus *ἐν ξύλῳ* scribi vult. Qua in re virum doctum errasse ex ipso Herodoto cognoscitur: dicit ille VII, 239 *δελτίον δίπτυχον λαβὼν τὸν κηρὸν αὐτοῦ ἐξέκνησε, καὶ ἔπειτα ἐν τῷ ξύλῳ τοῦ δελτίου ἔγραψε τὴν βασιλέος γνώμην, ποιήσας δὲ ταῦτα ὀπίσω ἐπέτηξε τὸν κηρὸν ἐπὶ τὰ γράμματα*: Aeneas igitur omissis iis, quae in initio enuntiati Herodotus praebet, huius ipsa verba expressit fere. Quare vides futilia esse, quae Sauppius protulit, qui nescio an eam tantum partem enuntiati Herodotei respexerit, quam Hercherus in annot. ad Aeneae locum exscripsit. Justinus quid narret, hic omnino nullius momenti est.

ib. 25—26 Aeneas haec narrat: *Ποτίδαιαν γὰρ θέλων προδοῦναι Τιμόξενος Ἀρταβάζῳ προσυνέθεντο ἀλλήλοις ὁ μὲν τῆς πόλεώς τι χωρίον, ὁ δὲ τοῦ στρατοπέδου, εἰς ὅπερ ἐτόξευον ὅτι ἄν τι ἤθελον ἀλλήλοις ἐμφανίσαι ἅζετο δὲ τοῦ τοξεύματος περὶ τὰς γλυφίδας ἑλίξαντες τὸ βιβλίον καὶ πτερώσαντες ἐτόξευον*

εἰς τὰ προσυγκείμενα χωρία. Sauppius (pag. 733) verba *εἰς ὅπερ ἐτόξευον — ἐμφανίσαι* delet, quod Aeneas Herod. VIII, 128 verbo tenus fere expresserit. Sequentis enuntiati initium ita constituendum commendat: *γράψαντες δὲ καὶ τοξεύματος περὶ τὰς γλυφίδας ἑλίξαντες κ. τ. λ.* Sed primum ne ipse quidem negare audet, Aeneam uberius quam Herodotum de *χωρίῳ συγκειμένῳ* exposuisse: deinde *γράψαντες* illud superfluum esse elucet, cum hoc satis ipsa voce *βιβλίον* significetur. Omnino autem multo simpliciore modo locus mihi videtur emendari posse: nam *ἐμφανίσαι αζετοδέ* aut ita ortum puto, ut primitus *ἐμφανίζειν ζειν τότε* scriptum fuerit, aut super *ἐμφανίσαι* vocem corrector[96]) adscripserit *ιζειν*, quod postea cum sequentis vocis *τότε* initio coniunctum simulque corruptum cum signo corruptelae in textum receptum est (*αζετο*). § 26 igitur Turicensium rationem secutus ita scribam: *ὅτε οὖν τι ἤθελον ἀλλήλοις ἐμφανίσαι* (vel *ἐμφανίζειν*), *τότε τοῦ τοξεύματος περὶ τὰς γλυφίδας ἑλίξαντες τὸ βιβλίον κ. τ. λ.* Pro additamento habeo sola verba *εἰς ὅπερ ἐτόξευον*, quae et superflua sunt et inepte inter § 25 et 26 interposita sententiarum conexum turbant.

XXXVIII, 7 ubi de hominibus e muro ad lapides colligendos demittendis agitur, Hercherus verba corrupta *ἀναβαίνειν εἰς τὸ τεῖχος καταχρεμασθέντων δικτύων* sic studuit corrigere: *καταβαίνειν διὰ τῶν εἰς τὸ τεῖχος καταχρεμασθέντων δικτύων.* Sed debebat paulo longius progressus scribere *διὰ τῶν ἐκ τοῦ τείχους κ. δ.*: quodsi *ἐκ* pro *εἰς* lego non tam coniecturam proferre quam litteras traditas interpretari mihi videor: *K* enim scribebatur plerumque in codicibus *IC*, itaque idem erat *EIC* (εἰς) atque *EIC* (ἐκ), quomodo factum est, ut Medicei librarius *εἰς* legeret, cum *ἐκ* legendum esset, et simul *τοῦ τείχους* in *τὸ τεῖχος* depravaret. Cum igitur facile locus sanari possit, refutandum puto quod Sauppius (pag. 737) suadet, ut deleantur verba *εἰς τὸ τεῖχος.*

XII, 4 cum Sauppio *οἰκείαν* et XXXI, 24 *σώματα* vocem

[96]) Cf. Herch. annot. ad XXII, 17, pag. 58 edit.

delere ideo necessarium non est, quod utroque loco non Aeneae, sed interpolatoris sententiam tenemus.

Recte Sauppium expungere puto: VIII, 1 *εἰς τὴν χώραν* (pag. 737); XI, 7 *εἶναι ἀποῤῥήτους πολεμίους αὐτῷ καθίστησιν αὐτοὺς καί* (pag. 740); XII, 2 *οἱ τῶν Χαλκηδονίων σύμμαχοι* (pag. 741); XVII, 1 *πομπαί* (pag. 743); XXIII, 5 *ποιοῦντες δὲ ταῦτα ἐφύλασσον μή τις αὐτομολήσῃ*; XXIX, 6 *ἐν τοῖς ἐρίοις καὶ ἀχύροις* (pag. 737); XXXVIII, 1 *μαχομένους* (pag. 750).

Permultis etiam aliis locis commentarii poliorcetici additamenta ab Herchero non esse cognita, Arnoldus Hugius demonstrandum suscepit prolegomenis suis criticis et editione Aeneae Tactici, ad quae recensenda iam est transeundum.

B. Qua atheteseon ratione Hugius usus sit.

Vix quemquam esse scriptorum Graecorum, cuius oratio paucis illis editionibus, quibus divulgata sit, tam graves mutationes sit passa, quam Aeneas Tacticus rectissime mihi Hugius videtur loqui[97]). An est, qui ante omnes ipsum Hugium editione sua commentarii poliorc., quam vera sint verba illa demonstrasse neget? Postquam enim iam Sauppius l. l. pag. 732 dixit: „Es scheint, dass doch die eigentliche verunstaltung und zersetzung dessen, was Aeneas geschrieben hatte, in sehr fruehe zeit gehoert, und fast sollte man meinen in schulvortraegen vor sich gegangen ist,“ Hugio multo maior pars interpolationum rhetoribus, librariis, fortasse etiam hominibus rerum historicarum et bellicarum quodammodo curiosis eisque rerum militarium saepe aut non satis gnaris aut prorsus imperitis attribuenda videtur. Permulta enim tam inutilia esse aut inepta, ut se quidem credere non posse fateatur, homines revera bellicae disciplinae studiosos consulto librum ad recentioris aetatis usum emendasse et auxisse[98]). Addidisse autem homines illos vel nova militaria praecepta vel leviora, quae ad amplificandas, illustrandas res

[97]) Cf. proll. critt. pag. 5.

[98]) Cf. ib. pag. 9.

pertinerent, vel denique totas narrationes prolegomenis suis docendum sibi proposuit.

Sed quamquam concedo, eum de nonnullis locis recte statuisse, tamen primum, quod supra iam monui[99]), eum praeoccupata opinione, cum maiorem etiam, quam revera est, interpolatorum audaciam sibi finxisset, eoque studio, ut quam plurima additamenta detegeret, ad Aeneam tractandum accessisse, deinde saepius conexum sententiarum non recte perspexisse, denique saepe locos, quos librariorum neglegentia corruptos intellegere non posset, interpolatoribus tribuisse equidem mihi persuasi. Quod num recte iudicem, videbis si mecum locos ab Hugio expunctos accuratius perlustraveris. Ac primum quidem eodem ordine, quo ipse illa protulit[100]), contemplemur

I. Quae in prolegomenis criticis in marginem relegaverit Hugius.

Ut supra, ubi de Hercheri et Sauppii ratione agebatur, ita in iudicando Hugio quoque primum de iis disputare placet, quae iniuria eum delevisse censeo. Atque equidem ut hoc statim praemoneam, nusquam Hugium demonstrasse credo, vere novum militare praeceptum in margine adscriptum fuisse, cum saepius in comment. poliorc. ipsa Aeneae praecepta ab interpolatore repetita vel similia ex scriptoris verbis derivata sint. Sed iam ad singula nos accingamus.

1. Quae nova militaria praecepta ab interpolatore addita esse Hugius censuerit.

XL, 6—7 tradita sunt haec: *ἐὰν δὲ θέλῃς* (*τοὺς* adiecit Herch.) *ἐπὶ τῷ τείχει περιόδους πλείους φαίνεσθαι, χρὴ περι-*

---

[99]) Cf. pag. 66.

[100]) Quamquam non perspicio, cur in singulis partibus proll. critt. rerum ordinem adeo Hugius neglexerit, ut modo locos ex fine, modo ex initio comment. petitos tractaret.

ἰέναι ἐπὶ δύο, ἔχοντας τὰ δόρατα τὸν (*μὲν* inseruit Herch.) *ἕνα στίχον ἐπὶ τῷ ἀριστερῷ ὤμῳ, τὸν δὲ ἕτερον ἐπὶ τῷ δεξιῷ· καὶ οὕτω φανοῦνται εἰς τέσσαρας.* 7 *ἐὰν δὲ τρία περιίωσι* (lapsu calami *περιῶσι* Med.), *τὸν μὲν πρῶτον ἄνδρα ἐπὶ τῷ δεξιῷ ὤμῳ ἔχειν τὸ δόρυ, τὸν δὲ ἕτερον ἐπὶ τῷ ἀριστερῷ καὶ οἱ ἄλλοι κατὰ ταὐτά. καὶ οὕτω φανοῦνται εἰς δύο.* Hercherus Hertlinum recte *τρία* vocem emendasse ratus in *ἐπὶ τριῶν* totam § 7 scribit: *ἐὰν δὲ ἐπὶ τριῶν περιίωσι, τὸν μὲν πρῶτον ἐπὶ τῷ δεξιῷ ὤμῳ ἔχειν τὸ δόρυ, τὸν δὲ ἕτερον ἐπὶ τῷ ἀριστερῷ* **· *καὶ οὕτω φανοῦνται εἰς ἕξ.* — *ἄνδρα* enim, quod post verbum *πρῶτον* in libris manu scriptis traditum est, ideo retineri non posse, quod quam de ternis circitoribus Aeneas legem scribat, eam non de singulis militibus, sed de ordinibus sive *στίχοις* valere antecedentia *τὸν ἕνα στίχον* et *τὸν δὲ ἕτερον* aperte demonstrent: referendum esse illud *ἄνδρα* ad interpolatorem, quem fugisset *στίχον* ad *τὸν μὲν πρῶτον* et *τὸν δὲ ἕτερον* facillime suppleri posse. Vocabula autem *καὶ οἱ ἄλλοι κατὰ ταὐτά* interpolatoris esse et ipsis nominativis prodi et eo, quod inepte verba *καὶ οὕτω φανοῦνται εἰς ἕξ* interposita illa sententia a praecedentibus divellantur: cum vero tertii ordinis commemoratio non videatur omitti posse, veri esse simile post *ἀριστερῷ* excidisse *τὸν δὲ τρίτον ἐπὶ τῷ δεξιῷ.* Denique pro verbis *εἰς δύο* scribendum fuisse *εἰς ἕξ*, ita ut senarius numerus introduceretur, ex *καὶ οὕτω φανοῦνται εἰς τέσσαρας* apparere.

Cui Hercheri rationi tam multa obstant, ut probari non possit. Primum enim non bene cum Hertlino scribit *ἐπὶ τριῶν*, quod defendi non potest nisi deleta voce *ἄνδρα*, quae per se spectata offensionem non praebet, dummodo recte intellegamus Aeneam. Sed ne ea deleta quidem recte se habent verba, nam, ut in § 6, ita hic quoque, si de tribus ternorum militum ordinibus cogitandum esset, scribendum fuisset *ἔχειν τὰ δόρατα.* Nec deinde verba *καὶ οἱ ἄλλα κατὰ ταὐτά* iustis causis delevit, quae mendosa esse in propatulo est: quod vero dicit, inepte illa interponi inter enuntiata *ἐὰν δὲ ἐπὶ τριῶν* — *ἀριστερῷ* et *καὶ οὕτω φανοῦνται κ. τ. λ.*, nonne idem effi-

ceretur, si exstaret ea commemoratio tertii ordinis, quam ipse deesse putat (τὸν δὲ τρίτον ἐπὶ τῷ δεξιῷ)? Quomodo denique δύο in ἓξ mutari possit, me quidem fugit. Omnino tot gravibus mutationibus Herchero ad suam sententiam firmandam opus est, ut iam inde eluceat, eam stare non posse.

Sed mihi multo simpliciore modo locus videtur sanari: τρία enim ex τρῖς, pro τρεῖς scripto[101]), esse ortum toto rerum conexu luculentissime ostenditur: agit enim Aeneas non de tribus ternorum, sed de tribus singulorum hominum ordinibus, qui ita incedere iubentur, ut primus miles in dextro, alter in sinistro, postremus in eodem, quo primus, umero hastam gerat:

o|

|o

o|

nam facillime e vocibus καὶ οἱ ἄλλοι κατὰ ταὐτά eruitur καὶ τὸν ἄλλον κατὰ ταὐτό[102]), post quae verba procul dubio excidit τῷ πρώτῳ, id quod propter similitudinem verborum, quae insequuntur, καὶ οὕτω facile poterat accidere[103]). Illa incedendi ratione efficitur, ut singuli homines binorum speciem praebeant: nam verba καὶ οὕτω φανοῦνται εἰς δύο non intellegenda esse de trium ordinum summa, sed de singulis singulorum hominum ordinibus, § 6 evincitur, ubi verba καὶ οὕτω φανοῦνται εἰς τέσσαρας et ipsa ad singulos binorum hominum ordines spectant: deprehenditur in his brevitatis studium minime ab Aenea alienum[104]). Medicei librarius cum scriberet εἴς δύο sententiam quidem recte intellexit, sed structurae vim intulit: Julii Africani codex praebet εἰς δύο.

Longe aliter Hugius, emblema teneri ratus, locum interpretatur, pag. 7: „Verum est quod ille dicit quisquis fuit, si tres sint, eorumque qui sinister est (τὸν μὲν πρῶτον ἄνδρα)

---

101) Cf. pag. 64.

102) De vocis ἄλλος notione cf. Hugii annot. ad hunc locum in edit.

103) Similia enumerata sunt pag. 61. — De lacunis cf. pag. 62 med.

104) Alia brevitatis exempla enumeravi cap. I, C, I, 4 (pag. 29—30).

dextro humero hastam gerat, medius sinistro, tertius vero item (id quod errore facile poterat omitti): tum tres illos videri posse e longinquo duos esse ideo, quod primi et alterius hastae tam sunt propinquae ut possint pro una haberi.

Solitus incedendi mos   incessus ab interpolatore propositus

o| o| o| o| |o |o

Ergo φανοῦνται (οἱ τρεῖς) εἰς δύο. Cui lectioni si Casaubonus iam obiecit „sed non agit hic Aeneas de minuenda specie circumeuntium,“ verissime is quidem, sed interpolator alicuius referebat, ut postquam Aeneas quomodo vero plures videri possent esse circitores speciose exposuerat, aeque callidum consilium de suo excogitaret, quo efficeretur contrarium, idque satis inepte adderet Aeneae verbis.“ Sed primum hoc iudicium proficiscitur non ab ea emendatione, quae et proxime ad litteras traditas accedit et iis, quae sequuntur, exposcitur, τρεῖς scilicet ut pro τρία scribatur, sed ab Hertlini coniectura ἐπὶ τριῶν. Deinde num omnino cuiusquam interesse potest, — quamcunque nobis fingimus rerum condicionem — ut militum, quibus nocturnae circuitiones in muris obsessae urbis faciendae sunt[106]), numerus vero minor videatur? Ut autem posset etiam hoc statui, num cogitari potest, interpolalatorem tale praeceptum omnibus ex partibus alienum ab iis, quae praecedunt, nullo enuntiato interposito Aeneae verbis adscripsisse? Profecto si additamentum teneremus, interpolatori talis fere sententia praemittenda fuisset: „Si quis contra efficere studet, ut minor videatur vero circitorum numerus, hocce modo res instituenda est.“ Tum minime commendat Hugii sententiam, quod, cum in § 6 alter binorum hominum ordo alterum sequi iubeatur, ille hic longe diversam rationem introduci vult, ita ut uno ordine tres illi milites incedant: cum igitur πρῶτος in § 6 is sit, qui prior ingrediatur, in § 7 ex

---

[105]) Nam περιοδεῖαι noctu tantum fiunt: cf. cap. XXVI. Longe diversum est, quod Iulius Africanus cap. LX de minuenda totius exercitus specie exponit.

Hugii sententia intellegendum esset de eo, qui in sinistra ordinis parte collocatus est. Sed nonne aequo iure aliquis contendere potest, dextrum hic appellari *πρῶτον*? Nonne interpolator, ut intellegi verba sua omnino possent, debuisset dicere *ὁ ἀριστερός, ὁ μέσος, ὁ δεξιός*? Nam quicumque has duas §§ perleget, verba *πρῶτον, ἕτερον, ἄλλον* propter totam loci naturam non intelleget de unius ordinis militibus sinistro, medio, dextro, sed de tribus hominibus singillatim deinceps ingredientibus, verba *καὶ οὕτω φανοῦνται εἰς δύο* non de specie illius trium militum ordinis, sed de singulorum hominum singulis ordinibus incedentium summae specie.

Quod praeterea Hugius collatis verbis II, 8 quae Hercherus expunxit, *ὥς δ' αὕτως καὶ κατὰ τῶν ἄλλων πάντων θελημάτων χρὴ τὰ ἐνόντα ὑπεναντία τοῦ προγεγραμμένου ὑπονοεῖν* putare videtur, illorum interpolatorem sibi proposuisse ubique contraria eorum, quae Aeneas praecipit, commendare, eoque studio § 7, de qua agimus, apposuisse, minus placet: neque enim traditum est *τὰ ἐνόντα ὑπεναντία τοῦ προγεγραμμένου*, sed *τοῖς προγεγραμμένοις*, quare recte Koechlyus locum vertit: „Ebenso muss man auch bei allen uebrigen entschliessungen die den gegebenen regeln entgegenstehenden einwaende berücksichtigen“: non de consulto semper ea praecipere, quae Aeneae praeceptis opposita sunt, interpolator finis cap. II vult — stultissimum sane studium — sed monere, ne quis praetervideat, quae, quominus Aeneae praecepta cum utilitate perficiantur, obstent. — Nec denique debebat Hugius a verbis manifesto corruptis *καὶ οἱ ἄλλοι κατὰ ταὐτά* profectus soloecismum Aenea indignum, dignum homine barbare loquente statuere.

Quae cum ita sint, minime mihi quidem Hugius „effecisse videtur, interpolationi deberi hoc totum enuntiatum XL, 7“. Nulla ex parte superfluam esse illius § sententiam, ita scriptae, ut proposui *ἐὰν δὲ τρεῖς περιίωσι, τὸν μὲν πρῶτον ἄνδρα ἐπὶ τῷ δεξιῷ ὤμῳ ἔχειν τὸ δόρυ, τὸν δὲ ἕτερον ἐπὶ τῷ ἀριστερῷ, καὶ τὸν ἄλλον κατὰ ταὐτὸ τῷ πρώτῳ· καὶ*

οὕτω φανοῦνται εἰς δύο, vix quisquam negabit: inest praeceptum, quomodo vel minore circitorum numero quam § 6 expositum erat, (nam agitur hoc toto capite de urbe quam paucissimis hominibus defendenda) adhibito efficiatur, ut satis valida circitorum manus videatur esse. Quod autem in § 6 ii iubentur praecedere, qui in sinistro umero hastas gerunt:

|o |o

o| o|

in § 7 antecedit is, qui in dextro umero portat:

o|

|o

o|

inde nihil potest concludi de diversis utriusque praecepti auctoribus, sed id unum sequitur, ex Aeneae sententia per se nihil interesse, utrum praecedant ii, qui in laevo, an ii, qui in dextro umero hastas gerunt, dummodo is, qui sequitur, ordo in altero umero gerat quam is, qui antecedit. An putaverit quispiam non idem effici, si in § 6 ii praecedere iuberentur, qui in dextro umero hastas gerunt, sequi, qui in sinistro portant, quod efficitur ordine ab Aenea praecepto?

Nec minus manifesto additamentum deprehendi putat Hugius in cap. XXXII, ubi omnia, quae in § 8—10 leguntur, ab Aenea abiudicanda censet (pag. 8 et 9): nam primum turres ambulatorias et catapultas Macedonico demum tempore in Graecia ipsa esse adhibitas, deinde Aeneam, si illas cognitas habuisset, accuratius eas fuisse tractaturum, denique alieno loco haec omnia posita esse, cum Aeneas § 4—7, 11—12 *τὰ εἰς τὰ τείχη εἰςπίπτοντα μηχανήματα* tractet, quibus inepte interponatur mentio *τῶν μεγάλων μηχανημάτων, ἐφ' ὧν σώματά τε πολλὰ προςάγεται καὶ βέλη ἐξ αὐτῶν ἀφίεται*: nam Aeneam cum ipsis §§ 1—2 *τὰ ὑπεραιρόμενα* tractasset, certe ante § 4 de his acturum fuisse. Recentiori igitur aetate illas §§ adscriptas videri ab homine aliquo, qui perfectiores illas machinas nollet prorsus taceri.

Cui sententiae equidem assentiri nullo modo possum. Nam etsi in ipsa Graecia ante Macedonicam aetatem turres ambulatoriae et catapultae adhibitae non sint, num inde concludi potest, illas ne ex artis quidem praeceptis (theoretice, ut ita dicam) Graecis cognitas fuisse? extra Graeciae fines eas non ante illam aetatem adhibitas esse ne Hugius quidem audet contendere, neque quisquam potest probare. Nemo vero hucusque demonstravit Aeneam ex ipsa Graecia oriundum fuisse[106]): qui cum inter annos 360—346 (vel 356) a. Chr. n. commentarium suum conscripserit[107]), num omnino est verisimile, prorsus eum ignorasse eas machinas, quae paulo post tam saepe usurpari, tam terribiles fieri coeptae sunt? Accedit, quod certissimo testimonio catapultas multo antea et inventas et adhibitas esse edocemur, scilicet circa annum quadringentesimum a. Chr. n. a Dionysio Syracusano adversus Carthaginienses bellante: cf. Diodor. XIV, 41 sq., imprimis 50 (sub finem), ubi haec legimus: *Ἰμίλκων δὲ ταῖς πρώταις τριήρεσιν ἐπιθέμενος τῷ πλήθει τῶν βελῶν ἀνείργετο· ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν νεῶν ἐμβεβήκει πλῆθος τοξοτῶν καὶ σφενδονητῶν, ἀπὸ δὲ τῆς γῆς τοῖς ὀξυβελέσι καταπέλταις οἱ Συρακόσιοι χρώμενοι συχνοὺς τῶν πολεμίων ἀνῄρουν· καὶ γὰρ κατάπληξιν εἶχε μεγάλην τοῦτο τὸ βέλος διὰ τὸ πρώτως εὑρεθῆναι κατ’ ἐκεῖνον τὸν καιρόν.* Quare recte Ruestowius et Koechlyus videntur iudicare, cum de turribus ambulatoriis et catapultis dicunt[108]): „Wir wissen nicht, ob sie schon waehrend unserer periode (sc. von der vertreibung der Perser aus Griechenland bis zur schlacht bei Mantineia) im eigentlichen Griechenland angewendet worden sind; theoretisch bekannt waren sie. Wahrscheinlich haengt ihre anwendung mit dem zunehmen des gebrauchs der schweren geschütze zusammen etc.“ Quod vero Aeneas accuratius de illis machinis non egit, sed

---

[106]) Cf. cap. I, B, pag. 7—22.

[107]) Cf. pag. 6—7.

[108]) In libri qui inscribitur: „Geschichte des griechischen kriegswesens“ pag. 207.

paucis hanc quaestionem absolvit, inde explicandum est, quod non satis cognitas eas habebat, sed fama tantum et auditione. Idem ex eo ipso conspicitur, quod satis incerto nomine *τὰ μεγάλα μηχανήματα* illas appellat, quas si accuratius cognitas habuisset, melius profecto designasset. Hoc igitur Hugii argumentum nihil valet, quin etiam ipse ille sua vineta caedit, quod dicit minus accurate de his expositum esse, quam ut credi posset, Aeneae eas machinas cognitas fuisse: num enim e contrario credi potest hominem militarem recentioris aetatis tam incerte de iis machinis esse locutum, quae tunc primarium locum obtinebant inter omnes, quae ad oppugnandas urbes spectabant? Profecto exspectamus illius aetatis hominem multo et uberius et certius de his machinis exposuisse. Quomodo praeterea Hugius suam sententiam eo firmari putet, quod nusquam toto Aenea nisi hoc loco earum ulla mentio fiat, non intellego: quonam omnino alio loco potuerunt antea commemorari, quam hic, ubi demum de ipsa oppugnatione agitur?

Venio iam ad tertium Hugii argumentum e loco, quem in cap. XXXII tenent illa praecepta, petitum. Quod etsi primo obtutu aliquid videtur valere, tamen accuratius inspecta ratione, qua singulae huius cap. partes inter se cohaereant, nihili esse videbis. Prima enim et altera § agitur de iis apparatibus, qui ex aliquo a muris urbis intervallo aedificantur in tantam altitudinem, ut inde facile oppidani et telis obrui possint et, quid quoque tempore agant, explorari[109]. Eiusmodi sunt *πύργοι, ἱστοί* alia, imprimis etiam *χώματα,* quae ipsa quidem usque ad murum perducuntur ideoque, nisi impeditur, quominus perficiantur, longe periculosissima sunt obsessis[110]. Haec autem omnia immobilia sunt (ex Hugii quoque sententia, qui si aliter statueret primario suo argumento, ignorasse Aeneam turres mobiles, ipse obloqueretur). Iam § 3 transit Aeneas ad

---

[109]) Cf. Koechlyum et Ruestowium l. l. pag. 208.
[110]) Cf. Thuc. II, 75.

eas machinas tractandas, quae ipsae moventur (§ 3—12). Ex harum numero primo eas nominat, quae ex aliquo spatio quam maxima vi vibrata in murum immittuntur, τρύπανον, κριόν (τὰ εἰς τὰ τείχη εἰςπίπτοντα μηχανήματα) § 3—7. Pergit tum § 8—12 ad eas, quae admoventur ipsis muris, ita quidem ut una cum machinis, his ipsis tecta, appropinquet urbi manus militum aut ad escendendos muros vel interficiendos tormentorum telis defensores aut ad muros suffodiendos: huc spectant τὰ μεγάλα μηχανήματα (turres ambulatoriae) § 8—10 et χελώνη (scil. διορυκτίς) 11—12. Minime autem ea, quae § 8—10 praecipiuntur, Aeneae ante § 3 tractanda erant: nam altera ex parte turres ambulatoriae artius cohaerent cum illis machinis, quas universe τὰ εἰς τὰ τείχη εἰςπίπτοντα nominat Aeneas, quam cum immobilibus aedificiis aliquanto a muro distantibus, altera ex parte non proprie turres ambulatoriae ad τὰ ὑπεραιρόμενα pertinent, quoniam ad muros escendendos comparatae ita saepissime aedificabantur, ut aequarent circiter murorum altitudinem, quare Ruestowius et Koechlyus eas l. s. l. „ebenhochen" appellant. Nec recte Hugius dicit testudinis mentionem ante § 8—10 faciendam fuisse. Huius enim longe alius usus est atque illorum instrumentorum, quae proprie τὰ εἰςπίπτοντα εἰς τὰ τείχη appellantur ab Aenea. Nam sub testudinis tecto firmissimo muris appropinquabant homines, qui illos suffodiendos vel perfodiendos (suis instrumentis) susceperant: cum igitur τὰ εἰςπίπτοντα illa, quae quam vehementissime in muros irruebant, arma quasi oppugnantium essent, testudo ab operatoribus ut praesidium vel scutum adhibebatur, quare plus ei commune est cum τοῖς μεγάλοις μηχανήμασιν, ἐφ' ὧν σώματα πολλὰ προςάγεται, quam cum τοῖς εἰς τὰ τείχη εἰςπίπτουσιν: nam illae „magnae machinae" adhibebantur, ut oppugnatores tuti ab oppidanorum telis in murum escendere, testudines, ut simili praesidio operatores et sub murum appropinquare et murum suffodere possent[111]). Si vero recte

[111]) Cf. Ruestowium et Koechlyum l. l. pag. 206 et 207: „Um die

iudicaret Hugius, nostro loco cogitandum esset de ea testudine, quae *χελώνη κριοφόρος* (vernacula „widderschildkroete") appellatur: sed illa posteriore demum aetate inventa est[112]).

Contra Hugium igitur retinendae sunt illae tres paragraphi 8—10. Minoris momenti additamentum mihi inesse videtur in § 9 verbis *προκαλύπτεσθαι δὲ ἅμα τούτοις καὶ πυκνὰ παραπετάσματα ἢ ἱστία, ἐρύματα τῶν εἰςαφιεμένων βελῶν, ἅπερ σχήσει τε τὰ ὑπερπίπτοντα τῶν βελῶν καὶ ῥᾳδίως συλλεγήσεται, χαμαιπετὲς δὲ μηδὲν ἔσται*: elucet enim post verba *ἐρύματα τῶν εἰςαφιεμένων βελῶν* eandem sententiam statim repeti non posse enuntiato *ἅπερ σχήσει τε τὰ ὑπερπίπτοντα τῶν βελῶν κ. τ. λ.* Aut igitur statuendum est verba *ἐρύματα τῶν εἰςαφιεμένων βελῶν* lemmatis instar adscripta esse ad totum locum inde a § 8 verbis *ἔπειτα ἔσωθεν ἀνταίρειν*, ut *ὅπλα* vox XXIX, 4 ex probabilissima Hercheri sententia, aut haec genuina Aeneae esse, ad quae explicanda interpolator ea, quae sequntur, adiecerit. Ac mihi quidem prius illud ideo magis arridet, quod in § 8 praecedit *ἀνταίρειν ἐκ φορμῶν πληρουμένων ἄμμου ἢ ἐκ λίθων τῶν ὑπαρχόντων ἔρυμα, ὅπερ τοῦ τε μηχανήματος ὑπερέξει καὶ τὰ ἐκ τῶν ἐναντίων βέλη ἀργὰ ποιήσει*, quibus inepte inferrentur nuda eadem fere verba *ἐρύματα τῶν εἰςαφιεμένων βελῶν*.

---

mauer zu untergraben oder zu durchgraben, musste man eine anzahl leute unmittelbar am fusse der stadtmauer aufstellen und dort eine ziemliche zeit arbeiten lassen. Sie waren dort allen Chikanen ausgesetzt, bei weitem mehr als die leute, welche den widder regierten und, an dessen hinterem ende aufgestellt, bei einiger laenge desselben schon ein gutes stueck von der mauer entfernt sein konnten. Man fühlte daher auch wohl zuerst b e z u e g l i c h der zum untergraben der mauer angestellten arbeiter das beduerfniss sie zu decken. Dem verdankte die brechschildkroete (*χελώνη διορυκτίς*) ihre entstehung. Aus holz gefertigt, in der gestalt eines pultdaches, mit raedern versehen, auf der dachflaeche mit bohlen eingedeckt, an der geraden wand und den giebeln nur mit nassen fellen behaengt, wurde sie von einigen leuten an die mauer geschoben, mit ihrer graden laengewand an diese angelehnt, und nun unter diesem schutzdach die arbeit begonnen."

[112]) Cf. ib. pag. 310—312.

Accedit quod tota § 9 magis ad *τὰ ὑπερπίπτοντα τῶν βελῶν* spectat, i. e. ea tela, quae *ἔρυμα*, de quo in § 8 agitur, supervolaverunt.

Transeamus iam ad id caput, quod foedissime interpolatorum licentia corruptum est, XVI. Cuius capitis genuinas Aeneae solas §§ 14—18, reliquas 1—13, 19—22 omnes ab interpolatore adiectas esse Hugius pag. 9—13 ostendere studet. Meliorem enim hanc, quae his §§ edoceatur, *βοηθείας* rationem esse ea, quae cap. XV. exposita sit, ideo negandum esse, quod illis §§ ex parte quidem verbosa et rhetoricis ambagibus referta repetitio eorum contineatur, quae iam ab Aenea simplici et sobrio loquendi genere exposita sint. Sic XV, 2 et XVI, 2 et 3, XV, 4—5 et XVI, 7 idem praecipi. Praeterea XVI, 3—10 ad nauseam repetitum inveniri idem exspectandi et morandi praeceptum, quo quam maxime delectatus videatur tamquam suo invento alter ille Maximus Cunctator, § 5, 7—9. Plenas autem esse omnes illas §§ anthitheseon mere rhetoricarum, a quibus Aeneas abhorreat. Deinde si imprimis id suadeat Aeneas, ut caveant oppidani hostium insidias (XV, 5 fin., 7), id ipsum etiam interpolatorem monere XVI, 4 fin, ac multo vehementius eundem hortari, ut ipsi urbis defensores hostes cibis et praeda refertos ex improviso adoriantur XVI, 5, 6, 8, 12. Idem augendi in maius studium etiam in eo deprehendi, quod cives urbis iubeantur vel in fines hostium transire insidiarum causa XVI, 11—12. Denique interpolatorem illum multo saepius quam Aeneam altera persona usum esse, quam Aeneas ipse non nisi in formula tritissima condicionali *ἐὰν βούλῃ* vel *θέλῃς* adhibuerit: XXXI, 3, 10, 18; XXXVIII, 8; XXXIX, 3, 4; XL, 1, 6; (omisit XXXI, 15; XXXV al.) Similiter XXXVI, 1 *ἐὰν μὴ ἄλλως κωλύειν δύνῃ*. — XXXVII, 2 *ἐὰν δέ σοι ὑπάρχῃ*; 9 *ὅποι βούλῃ ἄν. δεῖ* vero numquam cum altera persona ab Aenea coniungi nec similia verba.

Eadem quae in §§ 1—13 in illas 19—22 cadere.

Attamen ne de hoc quidem capite Hugio prorsus possum

assentiri. Quomodo enim eiectis §§ 1—13 ea, quae inde a § 14 leguntur, cum cap. XV fine cohaereant, omnino non video. Deinde, ut Hugius ipse confitetur, ex parte tantum illae §§ repetita comprehendunt ea, quae XV. cap. praecipiuntur: porro si novi nihil in §§ 1—13 inesset, ne interpolator quidem potuisset dicere *ὅδ' οὖν ἄλλος τρόπος βοηθείας βελτίων ἂν εἴη*. Quare equidem eicienda ea sola credo, quibus ipsius Aeneae verba ab alio exscripta esse appareat. Genuinas igitur esse iudico §§ 1, 4—6, 11—18, quibus hae sententiae continentur: „Urbis incolae, haud ignari hostes belli peritos ita irruptiones facere, ut initio quidem acie instructa proficiscantur, veriti, ne oppidani obviam egrediantur parati ad defendendos praedatores, melius non statim confligent cum hostibus, sed exspectabunt, dum illi, rati oppidanos omnino non esse ausuros secum proelium inire, longe lateque dispersi praedari agros incipiant et simul coenando potandoque se dedant. Tum demum egressi [113]) felici Marte cum hominibus praedae vinique plenis et huc illuc nullo ordine dissipatis pugnabunt. Si vero praedatores clam oppidanis auferre iam praedam coeperunt, praestat non omnibus copiis hostes iisdem itineribus persequi, sed paucis dimissis, qui ipsos hostes secuti hic illic eos lacessant quidem, sed pugna abstineant, maiorem exercitus partem quam maximis itineribus per alias regiones in ipsam hostium terram contendere, quo ubi pervenerint ante praedatores — quippe qui praeda onusti multo tardius proficiscantur quam milites expediti — insidiis positis ex improviso hostes aggrediuntor. Elucet enim fore, ut praedatores in suam terram reversi, cum iam se ab omnibus periculis tutos esse putent, gaudio vinoque indulgeant. Optimum autem est, si quidem classis suppeditat, mari copias in hostium fines traicere, ut integri milites defessos itineribus hostes aggredi possint. Simili

[113]) Cf. § 6. Post haec superflua esse et interpolata, quae § 7 sequuntur, apparet, cum iam XV, 5 Aeneas praecepisset, quomodo egrediendum esset, unde sua interpolator derivavit.

modo Cyrenaei et Barcaei, quando in remotas regiones auxilium ferendum est, curribus dicuntur milites transportare.“ Quae spero unumquemque esse concessurum optime et inter se et cum antecedenti capite cohaerere et novam rationem summa cum providentia opitulandi praebere. Iam quod ad singula attinet, minus accurate Hugius dicit multo vehementius interpolatorem hortari, ut urbis defensores hostes praeda et cibis refertos ex improviso adoriantur: nam ubi terrarum haec in iis, quae Hugius ipsi Aeneae tribuit (cap. XV et XVI, 14—18), praecipiuntur? Quo igitur „vehementius“ illa hortatur interpolator, quem statuit? Nonne hoc ipsum praeceptum omnino novum est? Nec augendi in maius studium equidem in iis, quae § 11 et 12 iubentur, deprehendi credo, sed satis bonum ipsius Aeneae praeceptum. Deinde antitheseon mere rhetoricarum studium in iis, quas retinendas censeo, §§ non inveniri unusquisque videt[114]). Quod denique Hugius contendit, alteram personam numquam ab Aenea adhibitam esse ad praecipiendum, eamque ipsam ob causam elucere §§ 1—13, 19—22 Aeneae attribuendas non esse, multo mihi videtur modum excedere. Minime enim perspicio, cur Aeneas, quippe qui non solum illis, qui supra allati sunt, locis (Hug. pag. 12), altera persona usus sit, sed etiam ad ipsa praecepta danda sexies alteram imperativi formam adhibuerit[115]) XXXI, 18, omnino eadem persona aliis locis non debuerit uti. Atque ut de iis tantum dicam, quae rursus in textum recipienda censeo, num revera tam singulari modo in his altera persona adhibita est? Exstat in § 4 *δεῖ γάρ σε εἰδέναι*, quod certe aeque bene ab Aenea dici potuit atque XXXI, 18 *διαμνημόνευε, ἔνειρον, δίειρον* etc.[116]).

---

[114]) Omnino nimium huic argumento Hugium tribuere, exposui pag. 44 et 45 (cap. I, C, II, 5).

[115]) Nam sine dubio ex Iulio Africano *διαμνημόνευε* cum Herchero restituendum est et cum eodem scribendum *ὅταν τινὰ θέλῃς ἐν αὐτοῖς τίθεσθαι λόγον, λίνον δίειρον* (Med. *διαιρεῖν*), quoniam tota hac § persona altera invenitur.

[116]) Prorsus non intellego, quomodo Hugius possit in pag. 13 verba

Porro quae legimus § 5 *καταφρονήσαντάς σου*, 12 *φθάσαι σε εἰκός*, 13 *ἵνα — χρήσῃ, εἰς τὸ δέον σοι συμβήσεται*, num revera tantum differunt ab exemplis supra allatis alterius personae ab Aenea usitatae, ut non eidem possint attribui? Nonne hae locutiones et ipsae ex numero usitatissimarum apud Graecos generalium illarum sunt? Quod profecto nemo negabit. Praeter illas autem altera persona in illis §§ non nisi ter in ipsa „formula tritissima condicionali“ invenitur: 6 *ἐάνπερ γε σὺ — ἐπιθῇ*. — 11 *ἐὰν δέ σε λάθῃ*. — 13 *ἐὰν μὴ κατοφθῇς*. Omnino de hac quaestione cum Hugio non possunt consentire nisi qui de aliis omnibus locis, ubi ille alteram personam ex Aeneae textu sustulit, ei assentiuntur, quod equidem minime facio. Similiter Hertlinus iudicat, cum dicit[117]): . . . waehrend die verdaechtigung aller der stellen, in welchen die zweite person gebraucht wird, allzuweit zu gehen scheint.“

Quod ad textum §§ 1, 4—6, 11—18 constituendum pertinet, recte in universum Hercherum statuisse puto, paucis exceptis: sic § 1 initium cum Hugio scribendum censeo *ὅδ' οὖν ἄλλος τρόπος*. Praeterea extrema § 4 verba *προςδεχόμενοι — ὑμῶν ἄτακτον βοήθησιν* non Aeneae ipsius, sed ab interpolatore ex iis, quae praecedunt, conficta esse et *βοήθησιν* vocabulum, quod neque apud Aeneam neque alium bonum scriptorem invenitur, et sententia inepta ac superflua demonstrat, cum idem iam in eadem § dictum sit (*προςδεχόμενοί τινας ἐφ' ἑαυτοὺς ἰόντας κ. τ. λ.*). Quamobrem non tam *βοήθησιν* in *βοήθειαν* corrigendum, quam ineptiae illae removendae sunt. Distinguit igitur interpolator ille inter vocem *βοήθεια* (= copiae auxiliares) XVI, 3; 7; et *βοήθησις*

---

facere de oratione obliqua plerumque ab Aenea ad praecipiendum adhibita. An tam ineptum scriptorem eum putat, qui promiscue modo obliqua (infin.), modo recta (imperat., *δεῖ*, *χρή*, adiect. verb., optat. c. *ἄν* coniunct.) oratione sit usus, qui exempla quidem recta, praecepta, ad quae illustranda illa adiecit, obliqua oratione protulerit? Immo infinitivi — nisi ab aliis verbis pendent — ita sunt explicandi, ut pag. 41—42 exposui.

[117]) In recensendis proll. critt. in Ienens. annal. litter. 1874 pag. 445.

(= modus vel actio opitulandi) XVI, 4. Aeneas ipse vocabulum *βοήθεια* semper hac vi usurpat (cf. II, 5; XV, 1; 7; XVI, 1; 14; XXIII, 7.), semel ut significet „copiae auxiliares" XXIV, 10.

Restat ut exponamus, unde reliqua additamenta (§ 2—3; 7—10; 19—22) fluxerint. XVI, 2—3 ex XV, 2; XVI, 7 ex XV, 5 ab interpolatore garrulo comparatas esse iam supra dictum erat. § 7 finis ex XVI, 18 fluxit, §§ 8—10 verbosam repetitionem continent eorum, quae Aeneas ipse § 4 et 5 exposuit. §§ 19—20 rhetoricis ambagibus eadem circumscribuntur, quae in § 18 exstant; §§ 21—22 denique haustae sunt ex § 13. Tales autem repetitiones praeceptorum ab Aenea datorum saepissime ab interpolatore adiectas esse, perspectis, quae recte ab Herchero expuncta enumeravi, intelleges: ac postea quoque de hac quaestione disserendum erit[118]).

Praeterea, quod ad Hugii textum spectat, summopere equidem miror, quanam ratione usus ille ad textum eorum verborum, quae ipse ab Aenea abiudicat, constituendum nihilominus aliorum, praecipue Hercheri emendationes eas, quae ex Aeneae sermone comparatae sunt, amplexus sit, id quod in alios etiam locos ab Hugio expunctos cadit. Nam profecto eas solas adhibere debebat, quae ipso conexu sententiarum exposcebantur. Falso igitur eum — pro suo de his omnibus iudicio — exhibuisse censeo: *συνέσεως* 4. — ib. *βοήθειαν* pro *βοήθησιν*. — *ἐφ' ἑαυτοὺς ἰόντας* pro *ἐφ' ἑαυτούς*. — *πεπληρωμένοι* pro *διαπεπληρωμένοι* 8. — *φθάσειαν* pro *φθάσαιεν* 9. — *προγέγραπται* pro *γέγραπται* 10. — *ἀξιόχρεω* pro *ἀξιοχρέου* 11. — *ἀπαρασκευοτάτοις* pro *ἀπαρασκευαστοτάτοις* 12. Unde enim tam accurate cognovit huius interpolatoris genus dicendi?

Similiter falso expunxit (cum prioribus editoribus) verba: *καὶ ἀπαράσκευοι πρὸ τῆς ἔω* post *ἀτακτότατοι* 2. — ib. corrupta illa *οἱ δ' εἰκὸς προςφάτως ἀγγελμένων* post *προϊέναι*. —

118) Cf. C, I, 1.

καὶ οἰνωθέντες post *πληρούμενοι* 5. — *πρότερα* ante *εἰρημένα* 8. — *διότι μηδὲν τῶν τοιούτων εἰκάζειν* 20. — *ἵν᾽ ὑπὸ ἡμῶν* (pro *ὑμῶν*) *τε ὀχλῶνται καὶ ἀπὸ τῶν νηῶν κατὰ νώτου αὐτοῖς τὴν ἀπόβασιν ποιουμένων* 21. Nam quomodo illa ab interpolatoris natura abhorrent? Quae omnia ex eorum numero sunt, ubi Hugius Hercherianae editionis imaginem nimis anxie expressit[119]): nam apud Hercherum quidem illa recte mutata vel deleta sunt, quippe qui ipsi Aeneae totum cap. XVI tribuerit.

Nec melius Aeneae Hugius consuluisse videtur, cap. IX eidem interpolatori, qui XVI addiderit, tributo pag. 14—15. Aeneam enim non posse hoc loco de impetu hostium in urbem exspectando dicere contendit, cum nondum intraverint hostes agros urbis; inde a cap. XXXII demum eum praecipere, quae ad oppugnationem ipsam pertineant. Quod vero maius sit, non militarem hominem, sed rhetorem huius cap. IX auctorem monstrari § 2 et 3 ridiculis verbis, quibus adeo vis eloquentiae attollatur, ut oratione a duce in contione habita deterreri posse hostes ab incepto suo affirmetur. Nec minus absurdum esse in repentino hostium impetu in noctem defensionem differre. Tum ineptum esse atque inane, quod cives iubeantur *τόπους τινὰς τῆς οἰκείας χώρας καταλαβεῖν:* mutuatum esse haec interpolatorem ex XVI, 7 verbis *χρή τινας καταλαβεῖν τῆς χώρας τόπους.* Alteram denique personam adhibitam eidem, cui cap. XVI, auctori hoc caput tribuendum esse ostendere.

Quod totum iudicium inde ortum est, quod perperam Hugius, obiter tantum inspecto loco, scriptoris verba intellexit. Nam primum quidem *θρασύνεσθαι ἐπιχειρεῖν* nihil aliud significat quam, ut Koechlyi versione utar „einen kecken handstreich wagen wollen“, hoc est vel in agros vel in urbem ipsam irrumpere subito (nocturno) impetu, velut II, 3—7 Thebani Plataeenses derepente oppressisse narrantur. Minime igitur necessarium erat hostes iam antea agros urbis in-

119) Cf. pag. 66.

travisse aut obsidere eam coepisse: memoria etiam semper tenendum est Aeneae commentarium minus ad magnas urbes defendendas quam ad oppida tuenda spectare. — Cap. VIII Aeneas praecipit, quid omnino iis, qui timeant, ne magnus hostium exercitus bellum sibi inferat, sit praeparandum, ut quam maxime aditus per agros hostibus impediatur, cap. IX autem exponit, quomodo repentes hostium impetus arceantur. Sequuntur cap. X—XIV edicta, quae ad universam disciplinam publicam periculosis temporibus exercendam spectant. — Minus etiam, quam rerum conexum, ipsa cap. IX praecepta Hugius perspexit: neque enim ridiculum illud et insanum suadet scriptor, ut contione convocata orationeque habita civium animi excitentur, deterreantur hostes, sed cum idonea ad arcendos hostes terrae loca occupare tum edicere iubetur imperator in contione, quoniam periculum immineat, et quae cuique alia facienda sint et quo quisque signo dato armatus paratusque ad pugnandum debeat venire. (Speciosae vero orationis nulla omnino mentio fit.). Quo facto facile potest evenire, ut hostes, ubi cognoverunt consilia sua detecta paratosque ad defendendum esse oppidanos, ab incepto suo desistant: elucet enim nisi necopinantes homines tali impetu opprimi non posse. Neque vero absurdum est, quod nocte convenire cives iubentur: cum enim per dies iam e longinquo hostes appropinquantes ex urbe conspiciantur, eos, quibus inopinato impetu urbem opprimere in animo est, noctem optime ad exsequenda consilia eligere in aperto est. Sic Plataeae quoque subito nocturno impetu a Thebanis captae sunt. Minime igitur differtur defensio. Praeterea autem cur inepte praecipiatur τόπους τινὰς τῆς οἰκείας χώρας καταλαβεῖν neque Hugius exponit, sed pronuntiasse satis habet oraculorum in modum, nec quisquam videt. Aeque difficile est ad intellegendum, cur necessario hoc praeceptum ex XVI, 17 sit petitum, quasi non posset idem diversis condicionibus praescribi ab eodem scriptore. Nihil denique ad abiudicandum ab Aenea cap. IX valere posse, quod altera persona scriptor horum verborum usus sit, iam supra expositum est: atque haec ipsa bis tan-

tum hic in usum vocata est, § 1: nam in § 2 melius pro iis, quae Med. praebet *δύνανται ἀποτρέψαι ὧν ἐπιχειροῦσι πράσσειν* scribemus *δύνανται ἀποτρέπεσθαι κ. τ. λ.*, ita ut unum idemque subiectum totius § 2 sit, quam *δύνασαι ἀποτρέψαι*; tertia vero § cum molestam rhetoriceque amplificatam circumlocutionem eorundem, quae altera § comprehenduntur, contineat, in marginem procul dubio est rescribenda: nam eiusmodi additamentis et caput XVI et multis aliis locis genuina Aeneae verba ditata sunt. Rectius tamen huius enuntiati auctorem Aeneae praecepta intellexisse, ad quemnam rerum statum spectarent, quam Hugium, postrema verba *τοῖς δὲ πολεμίοις φόβον ἐμπαρασκευάσεις, ὥςτε ἐπὶ τῆς αὐτῶν ἠρεμεῖν* luculenter demonstrant: nam hostes eo tempore, quo haec fieri iubentur, finibus suis iam esse egressos non est necessarium.

Vides igitur temere Hugium totum cap. IX ab Aenea abiudicasse, retinendas esse duas priores paragraphos.

Alius generis interpolationem inesse in II, 7—8 comprobare conatur pag. 15—16. Initio cap. II cum Aeneas iussisset areas vacuas fossis vallisque obstrui, ne cum damno civium ab iis, qui novis rebus studerent, possent praeoccupari, § 2—6 exemplis ostendit, quam utile illud fuerit. Tum § 7—8 sequuntur haec: *ἐξοιστέον δὲ καὶ τὰ ὑπεναντία τούτοις, ὡς μιᾶς μὲν οὔσης εὐρυχωρίας κίνδυνον εἶναι τοῖς ἐν τῇ πόλει, ἂν προκαταλαμβάνωσιν οἱ ἐπιβουλεύοντες (κοινοῦ γὰρ καὶ ἑνὸς ὄντος τόπου τοιούτου, τῶν φθασάντων ἂν εἴη τὸ ἔργον)· δύο δὲ ἢ τριῶν ὄντων τοιῶνδε τόπων, τάδε ἂν εἴη τὰ ἀγαθά· εἰ μὲν ἕνα ἢ δύο καταλαμβάνοιεν τόπους, τὸν λοιπὸν ἂν τοῖς ἐναντίοις ὑπάρχειν. εἰ δὲ πάντας, χωρισθέντες ἂν καὶ μερισθέντες ἀσθενεστέρως διακέοιντο πρὸς τοὺς ὑπεναντίους ἀθρόους ὄντας, εἰ μὴ ἑκάστῳ μέρει ὑπερέχοιεν τῶν ἐν τῇ πόλει.* In § 7 ut structurae satisfiat, Hercherus scribit *ὡς — κίνδυνος ἂν εἴη.* Sed veri est similius *ὡς* ex dittographia antecedentium litterarum *οις* ortum esse[120]), quo sublato bene se habet

[120]) Cf. pag. 60—61.

accus. c. infin. coniunctus, qui pendet ab iis, quae proxime antecedunt: ad rectam orationem transitur verbis *δύο δὲ κ. τ. λ.* Similiter in § 8 accus. c. infin. coniunctus *τὸν λοιπὸν ἂν — ὑπάρχειν* pendet a verbis *τάδε ἂν εἴη τὰ ἀγαθά:* pergitur oratione recta. Similia illius variationis genera enumeravi pag. 41.[121]) Ita autem interpungendum esse, ut ego feci, ipsa structura demonstrat. — Loci sententia est haec: Etsi optimum est in universum areas vacuas obstrui, tamen etiam rationes, quae his praeceptis obstant, in medium proferendae sunt. Non obstructis enim areis, diversa possunt evenire: si quidem una est area, periculum erit oppidanis maximum, si illa a coniuratis occupata erit; sin duae vel tres exstant areae, haecce civibus utilia accidere possunt: si duae ex tribus occupabuntur ab adversariis, ex duabus una, tamen una relinquetur civibus, unde orti illos aggredi possint: si omnes, dispersi et divisi adversarii minus valebunt viribus quam cives in unum conglobati locum, nisi omnibus ex partibus illi civibus superiores sunt. — Igitur si complures exstent areae nec tanta sit adversariorum manus, ut ipsa multitudine opprimere possit eos, qui resistere audeant, supersedere possint cives illa opera satis difficili nullo cum ipsorum damno, quin etiam possint fortasse utiliores esse civibus areae non obstructae et impeditae, scilicet si adversarii omnibus illis occupatis dissipati ipsi vires suas multo infirmiores reddiderint. Tantum de areis non obstructis § 7—8 cogitari posse toto rerum conexu ostenditur: nam si obstructae essent vallis fossisque et impeditae (*τυφλωθεῖσαι καὶ ἄβατοι ποιηθεῖσαι*) non possent occupari. Sequitur autem ex illis verbis, ut utrum obstruendae an non obstruendae sint areae, ex tota rerum condicione pendeat: omnino praestat

---

[121]) Longe diversa esse haec ab Hugii sententia, qui ubicunque praecepta ab Aenea infinitivo dantur, obliquam statuit orationem, per se elucet: neque enim quomodo talis obliquae orationis usus explicandus sit, quisquam potest perspicere. Cf. annot. 116 (pag. 112—113.)

illas obstrui, si adversariorum manus maxima est metuenda aut si una est area in urbe.

Aliter intellegi hae duae §§ nequeunt. Revera igitur proferuntur ea, quae obstare possunt rationi antea descriptae (nam recte Koechlyus § 7 initium vertit: „man muss aber auch die einwaende dagegen eroertern"). Perperam et verba *τὰ ὑπεναντία τούτοις* et quomodo §§ 7—8 cum antecedentibus cohaereant, Hugius intellegit, cum dicit: „Longis ambagibus, si intellexi quid scriptor voluerit, ac fere ridicula subtilitate (quae imprimis conspicitur in numeris illis inter se respondentibus *δύο δὲ ἢ τριῶν ὄντων* et *ἕνα ἢ δύο*) demonstrare vult is qui scripsit maiori usui esse civibus, si plures sint areae vacuae quam si sit una. Quod quomodo contrarium dici possit (*τὰ ὑπεναντία τούτοις*) praecepto ab Aenea in § 1 dato, equidem non dispicio (vide etiam quae infra extant ab Herchero quidem eliminata *τὰ ἐνόντα ὑπεναντία τοῖς προγεγραμμένοις*) ut hic quoque dicendus sit non praestitisse scriptor quod promiserit." Certe praeceptum novum et oppositum illi, quod in § 1 exstat, neque inveniet quisquam in his §§, neque, ut falso Hugius putat, tale quid promissum est verbis *ἐξοιστέον δὲ καὶ τὰ ὑπεναντία τούτοις*, quae ita potius accipienda sunt, ut demonstravimus. Ab iis, quae exscripsi, profectus Hugius utramque § interpolatori tribuit, quod iure eum facere nego. Ac quoniam de sententia loci satis iam expositum est, Hugiumque de illa a vero aberrasse patet, examinemus reliquas causas, quibus iudicium suum stabilire voluit. Nec primum quidem ulla de causa „ridiculam subtilitatem" statuit hic inveniri: an numeros omnino scriptoribus evitandos putat? Similes ex Aenea locos protuli pag. 44—45. — Vituperat deinde orationem ut parum Graecam, nimisque obscuram: bis enim infinitivum cum *ἄν* adhiberi, ubi optativus adhibendus fuerit, omissumque esse significari *καταλαμβάνοιεν* (§ 8) verbi subiectum esse *τοὺς ἐπιβουλεύοντας*, *τοῖς ἐναντίοις* deinde et *τοὺς ὑπεναντίους* vocibus eosdem indicari, quos *τοὺς ἐν τῇ πόλει* et nominaverat in initio scriptor et nominavit in fine. Sed primum semel tantum

infinitivo cum *ἄν* coniuncto scriptor usus est suo iure (*τὸν λοιπὸν ἄν — ὑπάρχειν*), ut demonstravimus: quod alterum Hugius exemplum putat, ibi non *ἄν* traditum est sed *ὡς*, mendo ortum, quod lenissima medela, ut supra dictum, tollitur. Praeterea, etsi fortasse paulo clarius sententia exprimi potuisset, tamen iniuria obscuritatis iusto maioris auctor accusatur: nam verbi *καταλαμβάνοιεν* quodnam aliud potest esse subiectum, quam *οἱ ἐπιβουλεύοντες*, horum *ἐναντίοι* quinam alii possunt esse quam *οἱ ἐν τῇ πόλει*? Nec recte denique dicit, eum, qui haec scripserit, de civili tantum seditione cogitasse, cum Aeneas, id quod exemplis allatis (§ 2—6) comprobetur, dixisset de hostibus externis: nam ut § 1 verba *τοῖς νεωτερίζειν βουλομένοις* et spectare possunt ad cives rerum novarum cupidos et ad externos hostes, ita § 7—8 *οἱ ἐπιβουλεύοντες*, qui opponuntur *τοῖς ἐν τῇ πόλει*, aequo iure de externis adversariis atque de civibus coniuratis intelleguntur.

Quare errasse puto Hugium ratum interpolatoris esse §§ illas, qui voluisset quidem contraria Aeneanis praecepta dare, nec tamen potuisset illud praestare. Quod meum iudicium confirmant verba ab interpolatore in calce eorum, quae Aeneae ipsi tribuenda sunt, adiecta *ὡς δὲ αὔτως καὶ κατὰ τῶν ἄλλων πάντων θελημάτων χρὴ τὰ ἐνόντα ὑπεναντία τοῖς προγεγραμμένοις ὑπονοεῖν, ἵνα μὴ ἀπερισκέπτως τι ἕτερον αἱρῆσαι* (*αἱρήσῃ* Meierus): nam illa ipsa apponi non potuissent, nisi in §§ 7—8 proferrentur talia, quae recte Koechlyus appellat, „einwaende gegen die vorgeschriebenen massregeln“ [122]). De sententia additamenti illius cf. pag. 104. Cum sermone Aeneae egregrie congruit, quod § 8 exstat *χωρισθέντες καὶ μερισθέντες*: cf. pag. 24—25.

Quoniam Hugius haec, quae eidem, cui §§ 7—8, auctori tribuit, perperam interpretatus putat illum ubique contraria praecepta iis, quae Aeneas dat, opponenda censuisse, ab hac sententia profectus aliis quoque locis eundem interpolatorem sibi videtur deprehendere.

122) De hoc genere additamentorum cf. C, I, 1.

Ita irrepsisse contendit verba XXVI, 10: *ὑπεναντίως δὲ τούτοις διακειμένου τοῦ στρατεύματος, ἐπισπερχεστέρως τοὺς φύλακας ἐξετάζειν* in annot. pag. 16: prorsus enim inutilia esse illa. Causis hanc sententiam non firmat. Ac mihi quidem illa verba minime a sententiarum conexu aliena videntur: spectant enim ad §§ 7—9, ubi praeceptum erat, ut si qua gravi calamitate affectus esset exercitus, minus severe vigilum circuitiones haberentur. Quae autem inde a § 11 sequuntur, verba *ὑπεναντίως δὲ τούτοις διακειμένου τοῦ στρατεύματος* respiciunt. Praeterea inter vocabula *ἄριστον δὲ αὐτὸν τὸν στρατηγὸν — περιοδεύειν μετὰ ἀπολέκτων ἀνδρῶν* et § 11 primitus nonnulla interposita fuisse, inde iam elucet, quod non verbis *ἐφοδεύειν δὲ ἐκεῖνον* vel *αὐτόν* pergit Aeneas, sed ita: *ἐφοδεύειν δὲ τὸν στρατηγόν:* nimis saepe autem idem hoc vocabulum esset repetitum, si in duobus insequentibus enuntiatis ter (§ 10 semel, § 11 bis) positum esset, quamquam facillime poterat evitari. — Omnino vero si omnia, quibus fortasse carere possemus, e scriptorum veterum textu vellemus removere, quantopere illi nobis essent dilaniandi! Accedit, quod ipse Hugius, quam futile sit hoc argumentum „superflua esse verba illa," in novissimi libelli, cui inscripsit „Aeneas von Stymphalos" etc., pag. 22 sat multis verbis demonstrat.

In eadem annotatione Hugius XXXIX, 8 eicit, quae § his verbis continetur: *οἱ δὲ πολέμιοι ἐὰν διατέμνειν ἐπιχειρῶσι, πρὸς ταῦτα πάλιν οἱ ἔσωθεν κηλωνείοις χρῶνται καθιέντες, ἵνα μὴ διατέμνηται· αἱ γὰρ ἁλύσεις πρὸς τὰ τοιαῦτα πραγματῶδες καὶ δυςμεταχείριστον, ἅμα δὲ καὶ ἀλυσιτελές.* In antecedentibus cum exposuisset Aeneas, quomodo hostes, qui audacius muris appropinquassent, laqueis irretiti caperentur, octava § ita pergit, ut Casauboni versione utar: „Si hostes vincula resecare conentur, rursus obsessi tollenonibus utuntur et impedituros, ne praecidantur, demittunt: catenae enim ad talia operosa res, aegre tractabilis et simul inutilis." Perspexit autem vir sagacissimus, id quod et versione et annotatione [123])

[123]) Cf. Orell. edit. pag. 290.

hac: „inclusi tollenonibus utuntur demittentes. quid demittunt? milites, puto, in corbibus, qui vim vi repellant“, demonstratur, quaenam demittenda suadeat Aeneas. Ac mihi quidem, cum minus bene verbi *καθιέντες* obiectum desideretur, ante *ἵνα* vocem per haplographiam[124]), ut ita dicam, *τινὰς* excidisse videtur.

Sed videamus iam, cur Hugius interpolatoris esse § 8 iudicet. Dicit additam esse eam „ab homine, qui aut Aeneam non intellexisset, aut suam sententiam ei opponere vellet“: absurde enim tollenones et catenas inter se opponi, quasi eadem esset horum duorum administratio, ut utrum deligas optio sit. Nec mirandum esse, Hercherum *πάλιν* illud non intellexisse. — Sed primum quidem quomodo horum verborum § 8 sententia opposita sit iis, quae praecedunt, non perspicio. Deinde si recte exposuiset Hugius, altera tantum huius § pars aliena esset ab hoc loco: si quid igitur esset delendum, verba *αἱ γὰρ ἁλύσεις πρὸς τὰ τοιαῦτα πραγματῶδες καὶ δυςμεταχείριστον, ἅμα δὲ καὶ ἀλυσιτελές* ex margine irrepsisse statui deberet. Adiectum igitur esset non tam novum praeceptum, quam explicatio, cur ea, quae priore parte § 8 comprehenduntur, ipse Aeneas praecepisset. Tamen ne illa quidem verba exstinguenda sunt, dummodo recte sententiam loci intellegamus: tollenonibus enim usi oppidani iubentur quosdam demittere, qui impediant, quominus funis ab hostibus praecidatur, ut quam celerrime demitti possint: nam laboriosum esset, si illi ipsarum catenarum (vel funium) opera descenderent (vernacula „wenn sie an den ketten (stricken) hinabglitten“) e muro et inutile, quoniam multo plus temporis descendentibus opus esset, dum in solum pervenirent, ita ut facile hostes iam antea funem possent resecare[125]). Quid in hisce insit inepti, nemo videt.

---

[124]) Cf. pag. 61.

[125]) Falso Turicenses vertunt: „Wenn die feinde versuchen es durchzuschneiden, so wenden dagegen die belagerten wiederum stangen an, die sie herablassen, damit es nicht zerschnitten wird. (!) Denn die ketten

πάλιν denique vocis quae sit significatio, in aperto esse puto: tollenonibus utuntur obsessi, ut irretitos hostes in altum trahant, tollenonibus iterum, ut demittant homines, si qui hostes praecidere funem tentant.

Eidem interpolatori tribui vult Hugius narrationem, quae sub finem cap. XVIII legitur. In § 21 enim, ubi de fraude custodis portae agitur, qui lapidibus positis communicarit, quae voluerit, cum hoste, exstant haec: *εἰ μὲν γὰρ πρώτην φυλάττοι, ἕνα λίθον ἐτίθει εἰς τὸν συγκείμενον τόπον, εἰ δὲ δευτέραν, δύο, εἰ δὲ τρίτην, τρεῖς, εἰ δὲ τετάρτην, τέτταρας, ἔτι δὲ καί ᾗ τοῦ τείχους καὶ κατὰ τί τῶν φυλακείων λελόγχοι. τούτῳ οὖν τῷ τρόπῳ σημαίνων ἐνέδωκε.* Quibus in verbis cum Hugium et subtilitas in numeris distinguendis male habeat et inepta sententia vocabulorum *ἔτι δὲ καὶ ᾗ τοῦ τείχους καὶ κατὰ τί τῶν φυλακείων λελόγχοι,* quae hominem prodant ignarum, portae custodem non in muro stationem suam habere, sed ad portam, pag. 16 hanc § delendam censet, pag. 36 extr. totam narrationem, quae in §§ 20—21 inest. Sed primum quidem velim exposuisse Hugium, qua ratione inductus inter militaria praecepta § 21 rettulerit, quae simplicem narrationem continet. Deinde recte eum iudicasse nego: numeri enim quod accurate distinguuntur, ideo Aeneae abiudicanda esse verba minime potest probare. (cf. cap. I, C, II, 5 pag. 44—45). Offendunt ea sola, quae post *τέτταρας* vocem tradita sunt. Nam verba *ἔτι δὲ καὶ — λελόγχοι* ab interpolatore addita esse et propter eam, quam Hugius attulit, causam et inde apparet, quod quomodo lapidibus positis potuerit proditor indicare, in qua quoque tempore muri parte stationem haberet, vix quisquam perspiciet. Quae autem statim insequuntur *τούτῳ οὖν τῷ τρόπῳ σημαίνων ἐνέ-*

---

sind gegen solche versuche beschwerlich und schwer zu handhaben und nicht einmal zweckmaessig.“ Nam quid perticis demissis potest effici? Quomodo impediunt hostes? Item atque in antecedentibus *κηλωνείοις* interpretandum esse et sententiarum nexus et *πάλιν* vox luculenter ostendit. Nec *πρὸς τὰ τοιαῦτα* verti debet „gegen solche versuche“, quae sententia profecto ineptissima esset, sed „zu diesem zwecke.“

δωκε, ideo aliena ab hoc loco sunt, quod hucusque tantum narratum est, quomodo hostibus indicaverit custos, quando sibi custodiendum sit, de fraude, qua ipsam portam illis aperuerit, nondum verba facta sunt. Excidit igitur procul dubio altera totius narrationis pars, quod ita factum puto, ut genuina Aeneae verba illis, quae in margine interpolator adscripserat: *ἔτι δὲ καὶ ᾗ τοῦ τείχους καὶ κατὰ τί τῶν φυλακείων λελόγχοι. τούτῳ οὖν τῷ τρόπῳ σημαίνων ἐνέδωκε. ταῦτα δεῖ οὖν συμβαλλόμενον πάντα φυλάττεσθαι καὶ τὰς πύλας αὐτὸν τὸν ἄρχοντα κλείειν καὶ μὴ ἄλλῳ διδόναι τὴν βάλανον* (haec Herch. iam delevit) sede sua detrusa et omissa sint[126]. Recte me lacunam statuere demonstrat, quod sequentis quoque enuntiati initium, ad quod verba *πράσσοντα δέ τι τοιοῦτον* spectant, deest. De aliis gravioribus lacunis, quae in Med. codice inveniuntur cf. pag. 62.

Expunctis igitur, quae inde ab *ἔτι δὲ καί* exstant reliqua §§ 20—21 verba retinenda sunt, quae exemplum continent, quod per se tolerari posse ipse Hugius (pag. 16) concedit.

X, 24 Aeneas, cum ante pronuntiasset parentes et propinquos obsidum appropinquantibus hostibus optime ex urbe removeri, commendat haec: *ἐὰν δὲ ἄρα δυςχερὲς ᾖ, μετὰ δυνατῶν*[127] (Med. *τῶνδε τῶν*, Herch. *εὐλόγων*) *προφάσεων ἐκπέμπειν, συνδιάγειν αὐτοὺς ὡς ἐλαχίστων μετέχοντας ἔργων καὶ πράξεων καὶ μήτε ὅπου ἔσονται μήτε ὅτι πράξουσι προειδέναι καὶ ὡς ἥκιστα ἐπὶ σφῶν αὐτῶν διατελεῖν* (Med. *διατηροῦντας*, Herch. *διατελοῦντας*) *καὶ νύκτα καὶ ἡμέραν ᾗ* (inseruit Herch.) *καὶ ἄλλας ἐπ' ἄλλαις πράξεις καὶ λειτουργίας αὐτοῖς τὸ πλῆθος ἐπιῤῥεῖν ἀνυπόπτως, μεθ' ὧν ὄντες ἐν φυλακῇ μᾶλλον ἔσονται ἢ φυλάξουσί τι*[128]. Praeter ea, quae antea iam de nonnullis huius loci verbis disputata sunt, monendum est, Hercherum minus bene *συνδιάγειν* in *ἐᾶν διάγειν* mutasse;

---

[126]) Simile aliquid accidisse putat Hercherus, cui ego assentior, XXX, 2 et XXXI inter § 31 et 32: cf. eius annot. in pag. 84 et 98.

[127]) Cf. pag. 95—96.

[128]) Relativum enuntiatum retinendum esse exposui pag. 75—76.

nec magis necessarium esse infinit. *προειδέναι* in *προειδότας* participium corrigi, ipsa loci sententia edocet: quamobrem equidem *διατηροῦντας* illo in *διατελεῖν* mutato (syllaba *τας* ex sequenti *καί* nata est) meliorem locum mihi videor reddidisse una quam Hercherus tribus medelis adhibitis constituit. Hunc quoque locum temptatum esse interpolatorum licentia Hugius pag. 17—18 exponere studet. Ac primum quidem iusto loco Hercherum *ἤ* voculam inseruisse negat, quam ante verba *καὶ μήτε ὅπου ἔσονται* inserere debuerit, cum haec iam eius sint, cui negotiorum variorum multitudo imponatur. Sed statim hac de re ab eo dissentio: nam multo melius verba *μήτε ὅπου ἔσονται μήτε ὅτι πράξουσι προειδέναι* ad eos referuntur, qui, dum muneribus publicis arcentur, ignorant, quid sibi magistratus sint mandaturi, quam de iis, quibus multitudo negotiorum perpetranda est, intelleguntur: praeterea male me haberent verba *ἢ καὶ μήτε ὅπου* inter se coniuncta. Inserendum potius est *ἤ* ante verba *καὶ ὡς ἥκιστα ἐπὶ σφῶν αὐτῶν κ. τ. λ.* Prava sua coniectura tota Hugii sententia nititur. Veri enim non esse simile ratus Aeneam, si duo contraria suadere voluisset, aequabilitatem ita fuisse neglecturum, ut alterum praeceptum quam paucissimis (*διάγειν αὐτοὺς ὡς ἐλαχίστων μετέχοντας ἔργων καὶ πράξεων*), alterum quam plurimis (*καὶ μήτε ὅπου* usque ad finem) verbis pronuntiaret, genuina Aeneae esse iudicat sola verba *ἐὰν μήτε ὅπου ἔσονται μήτε ὅτι πράξουσι προειδέναι καὶ ἄλλας ἐπ' ἄλλαις πράξεις καὶ λειτουργιῶν αὐτοῖς πλῆθος ἐπιτρέπειν* (ineptius pro *ἐπιῤῥεῖν*) *ἀνυπόπτως.* Ad haec verba eundem interpolatorem, qui cap. II, 7 scripserit, adiecisse *τὸ ὑπεναντίον*, verba scilicet *ἢ διάγειν αὐτοὺς ὡς ἐλαχίστων μετέχοντας ἔργων καὶ πράξεων καὶ ἐπὶ σφῶν αὐτῶν διατελοῦντας καὶ νύκτα καὶ ἡμέραν*, quae postea a librario additis (!) vocibus *ὡς ἥκιστα* cum Aeneae verbis copulata sint.

Antequam vero ad ipsa argumenta refutanda transeamus, vituperandum est, primum quod totam hanc sententiam, ex qua multa verba interpolatori tribuuntur, non nisi tribus

malis coniecturis (*ἐᾶν διάγειν* pro *συνδιάγειν* scribendum, *ἤ* ante *καὶ μήτε ὅπου* inserendum, *ὡς ἥκιστα* voces postea quam ceteras a librario — profecto mirum in modum docto et diligenti, quippe qui talibus coniecturis textum scriptoris, quem describebat, emendare studuerit, cuius diligentiae vestigia nulla alibi in comment. poliorc. reperiuntur — adiectas esse) fulcire potest. Deinde quod minime sibi constat, quoniam qui alia verba propter maiorem subtilitatem expungenda censuit, idem hic, quae non satis magna subtilitate conscripta esse arbitratur, interpolatori tribuit. Et quisnam minorem aequabilitatem in scriptoris verba intulit? Nonne ipse ille, qui propterea locum stare non posse censet, vocula *ἤ* falso loco inserta? Denique totum hoc iudicium cohaeret cum falsa opinione II, 7—8 aliquem contraria Aeneanis praecepta voluisse adscribere.

Tota autem argumentatio Hugii luculentissime ostendit eum hoc quoque loco non perspexisse, quomodo singula inter se cohaereant. Hic enim est sententiarum conexus (*ἤ* ita, ut supra demonstravimus collocato): „Si quidem removeri ex urbe parentes propinquive obsidum per speciem honorum mandatorum vix possunt, remanento in urbe, sed ita, ut

a) aut expertes munerum publicorum numquam praesciant, neque ubi se collocaturi sint neque quid sibi mandaturi sint magistratus, nihil igitur ipsi moliri possint.

b) aut (scilicet si muneribus publicis nulla suspicione arceri non possunt omnino, nam per se elucet nobilissimos illos civium et amplissimos esse, quippe quorum liberi vel propinqui obsides dati sint) numquam non occupati sunto muneribus, tanta mole negotiorum obruuntor quasi (*ἐπιῤῥεῖν*), ut, novis rebus quominus studeant, ipsa laborum multitudine satis prohibeantur (*μεθ' ὧν ὄντες ἐν φυλακῇ μᾶλλον ἔσονται ἢ φυλάξουσί τι*: cf. pag. 75—76). Operam vero danto magistratus, ne quo consilio illud fiat, sentiant illi (*ἀνυπόπτως*).

Quoquo modo instituitur res, sive haec sive illa ratio probabilior videtur, quam maxime parentes propinquive inter

se secernuntor, quo facilius singuli custodiri clam ipsis possint (*ἔστωσαν δὲ διειλημμένοι εἰς παρατήρησιν*).

Quae omnia bene se habere atque inter se cohaerere spero fore, ut unusquisque confiteatur.

Sed alia quoque obstant, quominus Hugio assentiamur. Nam primum quidem, ut ipse genuina vocabula constitui vult, verbi *ἐᾶν* obiectum deest; deinde profecto Aeneas languida illa structura *ἐᾶν μήτε ὅπου ἔσονται — προειδέναι* non fuisset usus, sed simpliciter dixisset *προειδέναι αὐτοὺς μήτε ὅπου ἔσονται κ. τ. λ.* Quibus de causis nihil novandum esse — exceptis iis, de quibus antea iam actum est — censeo.

XVII, 6 codex Mediceus praebet haec verba: *ἄριστον δὲ τὰς ἀρχὰς πρῶτον μετὰ τῆς προειρημένης δυνάμεως ἱεροποιῆσαι, τούτων δὲ ἐκ τοῦ ὄχλου ἀπαλλαγέντων οὕτω τοὺς ἄλλους συνιέναι.* — Quam periculosi essent totius populi ad ludos spectandos, sacrificia exsequenda vel alia eiusmodi facienda ex oppido exitus, dissentientibus inter se civibus, ubi in iis, quae praecedunt, Aeneas edocuit, omnino praestare dicit his verbis magistratus primo cum ea, quae antea nominata sit, manu sacrificare, cum vero illi ex vulgo discesserint, deinde ceteros convenire. Mendum in verbo *προειρημένης* inesse cum eluceat, quoniam nunquam antea de tali manu dictum est, omnes fere, qui in Aenea tractando versati sunt, in eo vocabulo haeserunt variisque coniecturis locum emendare studuerunt. Quibus vix quidquam profectum esse iam erit demonstrandum. Casparus enim Orellius in pag. 169 ed. Orell. ad haec verba annotavit: „Ubinam *προειρημένης*? Aptius, ni fallor, foret *μετὰ τῆς προηταιρισμένης δυνάμεως*, cum copiis, quae antea eidem factioni sese addixerunt, quorumque igitur fides certa est.“ Sed merito haec coniectura a nullo editore in textum recepta est, cum verbum *προεταιρίζειν* nusquam apud scriptores Graecos inveniatur. Qua vero de causa Hercherus Orellium voluisse *προςηταιρισμένης* scribi suspicetur, quamquam ille planissime dicit se sic locum intellegere: „cum copiis quae a n t e a eidem factioni sese addixerunt,“ equidem non video.

Ei, quod Meierus proposuit, *μετὰ τῆς προῃρημένης δυνάμεως* „cum manu ante electa“ haecce Hercherus in annot. edit. suae opponit: „Offendit articulus neque Graecis vocabulis inest, quod inesse perhibet interpretatio.“ Quorum alterum magni momenti ad refellendam Meieri sententiam esse censeo: neque enim usquam verbum *προαιρεῖν* notione „im voraus waehlen,“ sed semper ea vi „vorziehen“ vel „lieber wollen“ legere memini. Non minoris momenti est, quod nihil hic refert, utrum manus illa antea eligatur an non, sed, id quod postea demonstrandum est, antea educendi vis desideratur.

Hercheri denique coniectura *προκειμένης* eo sensu, quo Polybius VI, 20, 8 hoc verbum usurpaverit, ut praescriptum militum numerum significet, scribendum esse, quid sibi velit, omnino non possum intellegere. Nonne recepto hoc vocabulo eadem, quae antea, remanet difficultas, cum quonam spectent verba *μετὰ τῆς προκειμένης δυνάμεως* nesciamus?

Quare cum mihi quoque, ut Hugio, omnes virorum illorum coniecturae nihil locum mendosum emendare videantur, equidem pro verbo *προειρημένης* scribendum proponam *προεξηγμένης*, quod et litterarum ductu simillimum est et optime in sensum quadrat. Sic enim fere vertam locum: „Optimum est magistratus cum manu ante (scil. ante reliquam pompam) educta primo sacrificare, deinde, postquam illi ex vulgo discesserunt, ceteros congregari (ad diem festum celebrandum).

Recepto autem in textum verbo *προεξηγμένης* quid de Hugii sententia iudicandum videtur? Qui in pag. 18 his de causis locum ad interpolatorem reicit, cum dicit: „Mihi vero tota sententia et per se inepta videtur, quippe qua ut sine magistratu volgus diem festum agat suadeatur, et ab Aeneae mente alienissima, qui quidquam id genus *ἄνευ τῶν ἀρχόντων* fieri vetuerit (cap. X et XXII, 16). Contra si Aeneam ipsum audiamus „*ἄριστον*“ est omnino tali tempore nullos dies festos extra urbem agere, vide X, 4 *τὰς δὲ ἑορτὰς κατὰ τὴν πόλιν ἄγειν;* conferas XVII, 1.“ — Sed primum quidem nego, Aeneam his verbis suadere, ut sine magistratu vulgus diem

festum agat: neque enim *ἀρχαί* illud de omnibus magistratibus est intellegendum, sed de summis tantum, quippe quibus ius fasque sit, sacrificia publica perpetrare. Eadem vi saepius et ab Aenea et ab aliis scriptoribus vox *ἀρχαί* vel *ἄρχοντες* usurpatur, ut eos significet, qui principes civitatis sunt (cf. § 3). Quod vero Hugius dicit vetuisse antea Aeneam sacrificia vel quidquam id genus *ἄνευ τῶν ἀρχόντων* fieri, hoc ex ipsis illis verbis X, 4 apparet eo tantum spectare, ne qui proditionem aut seditionem moliantur, secreto factis sacrificiis ex vatibus vel sacerdotibus quaerant, utrum dii propitii an alieni a consiliis suis sint, neque ad tales dies festos publicos agendos. An aliter explicari possunt verba *μηδὲ θύεσθαι μάντιν ἰδίᾳ ἄνευ τῶν ἀρχόντων*? Minime autem perspicio, quomodo huc pertineat locus ille cap. XXII, 16, ubi qua ratione, si tota urbs ludis dedita sit, optime vigiliae disponantur, Aeneas praecipit, neque ullam mentionem facit diei festi extra urbem celebrandi vel pompae ex urbe educendae. Quod denique Hugius Aeneam X, 4 iubere dicit tali tempore dies festos non extra, sed intra urbem agi, quis hoc audebit negare? Certe omnino praestat intra urbem ea rerum condicione dies sollemnes celebrari, sin vero extra urbem celebrantur, sic eos institui praestat, ut hic Aeneas praecipit. Nullius igitur momenti sunt verba illa cap. X ad hunc locum ab Aenea abiudicandum. Collatis autem verbis XVII, 1 intelleges, nihil ibi Aeneam dicere, nisi maxima cautione et providentia opus esse, si totus populus ex urbe egrediatur ad ludos spectandos vel alia sollemnia agenda, quoniam eiusmodi tempora maxime idonea sint ad seditiones faciendas. Sic interpretanda sunt verba *προνοοῦντα εὐλαβεῖσθαι τὰς μετ' ὄχλου ἐξόδους κ. τ. λ.* Praeterea ipsa exempla, quibus usus est (§§ 2—5), ita intellegendam esse § primam ostendunt. — Nec sermo § sextae obstat, quominus Aeneae haec verba tribuantur, quem saepe in praecipiendo formula *ἄριστον δέ* uti supra (pag. 42) exposuimus.

Quamobrem non est, cur hunc locum in marginem re-

scribamus, cum neque sensus nec sermo ullo modo, quominus genuina Aeneae haec verba esse iudicentur, impediat.

In cap. XXIX, ubi ad opprimendam subita seditione urbem coniuratis et alia arma clam importata esse et pugiones in orcis frumenti, caricarum, olivarum ab Aenea enarratum est, haecce § 7 sequuntur: *εἰςηνέχθη δὲ ἐγχειρίδια καὶ ἐν σικυοῖς πέποσι γυμνὰ, ἐωσμένα* (ita Herch. Mediceus praebet *ἀπεω ϛ ωνεα*) *κατὰ τοὺς πυθμένας εἰς τὸ σπέρμα τῶν σικυῶν.* Quae Hugius (pag. 19) contendit adiecta esse ab aliquo, qui vellet significare pugiones potuisse etiam lepidiore ratione occultari. Mirandum enim esse in hoc uno armorum genere scriptorem non contentum fuisse una eaque simplici occultandi ratione commemoranda; neque eum *ἐγχειρίδιον* vocem repetiturum fuisse, sed aut omissurum aut pronomine demonstrativo usurum. Denique eo evinci interpolatorem, quod in § 8, ubi quomodo ex vasis aliis alia ratione arma desumpta sint, narretur, de pugionibus haec tantum dicantur: *οἱ δὲ τοὺς ἀμφορέας συνέτριβον,* sine ulla cucumerum mentione. —

Sed omnino quid primum Hugii argumentum sibi velit, non video: nam ea quae acciderunt, ita Aeneas refert, ut facta sunt, neque ulla est causa, cur debeat alia narrare, alia omittere. Si igitur duplici modo pugiones illatos esse comperit, cur ei non licet utramque importandi rationem cum lectoribus communicare? An forte Hugius putat, accidere non potuisse, ut non uno, sed duobus modis arma importentur in urbem? Nec deinde semper evitari idem vocabulum parvo intervallo bis positum apud Aeneam, supra dictum est (pag. 49). Accedit, quod ad haec duo Hugii argumenta pertinet, quod omnino ignoramus, undenam Aeneas hanc narrationem petiverit: potuitne ita haurire ex alio scriptore, ut ex longiore illius narratione ea, quae ipsi primaria videbantur, ipsis illius verbis excerperet? Apud quem auctorem fortasse inter ea, quae § 6, et ea quae § 7 Aeneas comprehendit, minoris momenti aliqua exstiterunt, ita ut repetitum

ab illo verbum *ἐγχειρίδιον* ipse Aeneas una cum aliis vocabulis reciperet.

Praeterea Hugius ea de causa pro interpolatis habenda verba *εἰςηνέχθη — τῶν σικυῶν* putat, quod cucumeres non commemorentur in § 8. Sed ne hoc quidem iure videtur contendere: an forte cucumeres vel cucurbitas, in quibus pugiones latebant, hominum manibus illata esse putat? Immo armigerae illae fruges, id quod et per se elucet et ex iis verbis, quae proxime antecedunt apud Aeneam, concludi debet, ipsae quoque *ἐν ἀμφορεῦσι,* in magnis orcis, importatae sunt summa cautione, ita ut non simpliciter intermiscerentur pugiones cucumeribus, sed detrusi in ipsa semina illorum gererentur, quo magis laterent. Minime igitur necesse est, nominentur in § 8 cucumeres vel cucurbitae, immo satis clare universe tantum orcae, quae fruges armaque continere dictae erant, commemorantur sine ulla aut frumenti, caricarum, olivarum aut cucumerum cucurbitarumve mentione.

Denique prorsus me latet, quomodo Hugius et hoc et id, quod statim sequitur, exemplum XXIX, 9 potuerit primae parti prolegomenorum inserere, qua nova militaria praecepta ab interpolatore adiecta comprehenduntur: nam et in § 7 et 9 nihil nisi simplex narratio inest. Eandem *ἀκρισίαν* supra iam vituperavimus[129]).

Transeamus iam ad eiusdem cap. § 9, locum tam corruptum, quam corrupti ne in mendosissimo quidem commentarii poliorc. textu multi inveniuntur. Ubi haecce Mediceus praebet: *ἅμα δὲ ταῦτα καὶ οὐ πόῤῥω ὄντα ἀλλήλων ἐπορσύνετο ἀπὸ σημείου τοῦ ἐν τῇ πόλει καὶ ὡς φάλαγξι γινόμενον.* In antecedentibus narraverat Aeneas armis clam importatis cives coniuratos, cum dies festus publicus ageretur, nocte ad proditionem perpetrandam convenisse et arma cepisse. Verba, quae attuli, cum sensum omnino non praebeant, viri

---

129) Cf. pag. 123.

docti nubem coniecturarum iis offuderunt: initium enim enuntiati Orellius sic scribi vult: *ἅμα δὲ ταῦτα καὶ τῶν ξένων οὐ πόῤῥω ὄντων ἀλλήλων*[130]); alteram enuntiati partem Casaubonus emendare sibi videtur scribendo: *καὶ ἦν ὡς φάλαγξ ἀθροιζομένη τὸ γινόμενον*, Haasius *καὶ ὡς φάλαγξ γενόμενοι* (*ὁπλισθέντες δέ*), Turicenses *καὶ ἡ ἔξω φάλαγξ ξυνεῖδε τὸ γινόμενον*, Meinekius *καὶ ὡς φάλαγξ ἦν τὸ γινόμενον*, quae omnia neque sensui nec structurae satisfacere statim primo obtutu unusquisque intelleget. Nec multo melius Hugius scribit *ἅμα δὲ ταῦτα καὶ οὐ πόῤῥω ὄντα ἀλλήλων ἐπορσύνετο ἀπὸ σημείου τοῦ ἐν τῇ πόλει ταῖς ἔξω φάλαγξι γενομένου:* nam primum quo *ἅμα* referendum sit, non elucet, deinde *ταῦτα καὶ οὐ πόῤῥω ὄντα ἀλλήλων ἐπορσύνετο* sensum omnino non praebent, nec cur coniurati copiis, quae extra urbem collocatae erant, signum dederint, quo dato ipsi ad consilia sua exsequenda properaverint, intellegitur, denique articulus *τοῦ* post *σημείου* ferri non potest in hoc verborum conexu. Multo minus etiam placet, quod Hugius (pag. 19) verba ut ab interpolatore, barbaro homine[131]), qui hic quoque ut XXIV, 8; XXVIII, 5 de copiis extra urbem signum appropinquandi exspectantibus cogitandum esse duxerit, conscripta expungit: nam quam absurda sit ea, qua utitur, causa, nemo non videt; omnino autem tale iudicium de iis verbis ferre non debebat, de quibus sanandis desperabat. — At mihi non solum singula vocabula corrupta, sed etiam ordo verborum, id quod saepius factum esse in cod. Med. vidimus, turbatus videtur esse. Ac primum quidem persuasum habeo in *ἐπορσύνετο* illo litterarum ductu simillimum verbum *ἐπυρσεύετο* latere, deinde *φάλαγξι* vocem ante hoc verbum transponendam esse: aliis praeterea nonnullis medelis adhibitis totam enuntiatio-

[130]) Quam coniecturam cum Hercherus in annot. edit. Casaubono tribuit, errare videtur: nam Orellius pag. 222 edit. hoc ut suum inventum profert.

[131]) Cf. annot. edit. Hug. ad hunc locum.

nem sic restituendam proposuerim: *ἅμα δὲ τούτοις καὶ οὐ πόῤῥω ὄντων τῶν ἄλλων ταῖς φάλαγξι ἐπυρσεύετο ἀπὸ σημείου τὸ ἐν τῇ πόλει γενόμενον*, quae verba sic fere vertam: „Una cum his etiam aliorum, qui haud ita longe ab urbe aberant, copiis signo (a duce vel ducis iussu) dato igni significabatur, quid in urbe gestum esset (i. e. omnia parata esse)" vel germanice: „Zugleich damit wurden auch die [bereits in schlachtordnung aufgestellten (nam hoc in voce *φάλαγξι* latere videtur)] truppen der nicht weit entfernten bundesgenossen durch ein feuersignal auf ein gegebenes zeichen von den vorgaengen in der stadt benachrichtigt." Ut hic *ἄλλων* et *ἀλλήλων*, ita III, 3 verba *ἀλλήλους* et *ἄλλους* a librario inter se confusa sunt, qui *ἐν ὑποψίᾳ πρὸς ἄλλους* scripsit pro vocibus *ἐν ὑποψίᾳ πρὸς ἀλλήλους*. De *πυρσεύειν* illo cf. XV, 1; XXIII, 6, praeterea VI, 7; VII, 4; XXVII, 2; de *ἅμα τούτοις* II, 6 al.

Quamquam autem minime ignoro satis gravem esse hanc mutationem, tamen nec leni medela tam corrupto loco succurri posse et sententiam hanc efflagitari toto rerum conexu unumquemque libenter concessurum spero. Nam et § 3 verba *κατελήφθη πόλις* — *ἔσωθέν τινων συνεθελόντων* maiores copias extra urbem comparatas fuisse et § 10 *ἐπὶ πύργους ὥρμησαν καὶ πύλας, καθ' ἃς καὶ τοὺς ἄλλους προςεδέχοντο*, copias illas tam prope ab urbe afuisse, ut, ubi cognovissent prospere rem coniuratis successisse, statim ipsis portis appropinquare possent, clarissime demonstrant.

XXVII, 3—4, ubi de panicis terroribus tollendis Aeneas agit, inveniuntur haec: *ἄριστον δὲ προπαρηγγέλθαι* (sic Mediceus, *παρηγγέλθαι* minus bene Hertlinus et Hercherus), *καθ' οὓς ἂν τῶν στρατιωτῶν γένηται ὁ φόβος, κατὰ χώραν τε ἠρεμεῖν καὶ ἀναβοᾶν παιᾶνα ἢ λέγειν, ὅτι ἐστὶ πάνειον καὶ τὸν ἀκούοντα ἀεὶ τῷ πλησίον παραγγέλλειν. καθ' οὓς ἂν οὖν τοῦ στρατεύματος μὴ ἀντιπαιανίζωσιν, εἰδέναι κατὰ τούτους τὸν φόβον ὄντα.* — Ad quem locum Hugius pag. 19 haec annotat: „Nolim magnopere cum eo pugnare qui hoc quoque al-

tero loco positum praeceptum bonum esse contendat, modo hoc mihi concedat non solere Aeneam ubi optimum esse aliquid dicat, duo vel contraria vel diversa afferre. Quod maius est, Aeneam ipsum prius tantum praeceptum in mente habuisse elucet ex eis quae statim sequuntur: *καθ' οὓς ἂν οὖν τοῦ στρατεύματος μὴ ἀντιπαιανίσωσιν, εἰδέναι κατὰ τούτους τὸν φόβον ὄντα.* Exstinguenda ergo sunt quae significavi *ἢ λέγειν* usque ad *παραγγέλλειν.*"

Sed primum quidem non intellego, cur Hugius censeat non potuisse haec duo praecepta ab Aenea inter se coniungi, quod usus sit verbis *ἄριστον δέ:* cum enim scriptor utrumque praeceptum aeque bonum esse existimaret, quare non poterat haec duo simul ut praestantissima commendare? Simile est, quod Aeneas, postquam XXXI, 16—19 descripsit *ἀδηλοτάτην πασῶν πέμψιν* secretarum epistularum, § 20 pergit *ἐκπρεπέστερον*[132]) *δ' ἂν ταύτῃ γίγνοιτο,* duasque alias rationes his §§ 20—22 profert. Alibi vero ubi verba *ἄριστον δέ* adhibuit, unum pro optimo omnium putavit. Quod vero ad ea pertinet, quae praeterea Hugius dicit, omnino mihi locum recte intellegere non videtur. Nam Aeneas eo consilio paeanem inclamari iubet, ne milites, apud quos terror ortus sit, magis etiam animis deficiant, sed ut et ipsorum et reliqui exercitus animi cantando firmentur. Quare verba *καθ' οὓς ἂν οὖν τοῦ στρατεύματος μὴ ἀντιπαιανίζωσιν — φόβον ὄντα* prorsus aliena sunt a toto rerum conexu: neque enim Aeneae in animo est docere, quemadmodum cognoscatur, qua in parte exercitus terror ortus sit, — nam hoc statim ipsis oculis a reliquis intellegitur, melius certe quam auribus posset fieri — sed, id quod multo maioris momenti est, quomodo quam optime celerrimeque tollatur. Nec quid sibi hoc loco velit illud *ἀντιπαιανίζειν* omnino videmus, quoniam nemo *ἀντιπαιανίζειν* iubetur, sed illi, qui primi per-

---

132) Lenius ita Meinekius in Herm. vol. II. pag. 185 pro eo, quod Med. praebet, *εὐπρεπέστερον* quam Herch. *εὐχερέστερον.*

territi sunt, *ἀναβοᾶν παιᾶνα* tantum iubentur: neque igitur qui non *ἀντιπαιανίζωσιν*, sed qui subsistunt in loco suo et paeanem inclamant, eos pavere ex Aeneae ratione apparet. Quae cum ita sint, verba *καθ' οὓς ἂν οὖν τοῦ στρατεύματος μὴ ἀντιπαιανίζωσιν, εἰδέναι κατὰ τούτους τὸν φόβον ὄντα* a lectore quodam perperam enuntiatum *προπαρηγγέλθαι — ἀναβοᾶν παιᾶνα* interpretato ad illud explicandum in margine adscripta[133]) postea in ipsum textum irrepsisse censeo. Num enim credi potest ab eodem scriptore haec duo enuntiata scribi potuisse *ἄριστον δὲ προπαρηγγέλθαι — ἀναβοᾶν παιᾶνα* et *καθ' οὓς ἂν οὖν τοῦ στρατεύματος — φόβον ὄντα*, quorum posterius tantum abest, ut in sententiarum conexum quadret, ut omnem sensum pervertat? Minime igitur cum Hugio possum consentire, qui ab ipsis his verbis prorsus perversis profectus enuntiatum *ἢ λέγειν — παραγγέλλειν*, cuius sententia ne ipsi quidem inepta videtur, exstinguendum censet.

Sed ne illa quidem genuina Aeneae verba *ἄριστον δὲ — παραγγέλλειν* recte ab interpretibus explicantur. Casaubonus enim falso vertit: „Optimum vere sit praemonitos esse omnes milites, ut ii, apud quos pavoris initium fuerit, quieti in loco se contineant, alii paeana inclament“: sed ipsa verba luculenter demonstrant non alios quam eos, qui perterriti sunt, paeana inclamare iuberi. Turicenses haec quidem recte vertunt: „Das beste aber ist, wenn vorher befehl gegeben wird, dass die soldaten, bei welchen ein schrecken entsteht, ruhig auf ihrem platze bleiben und einen paean anstimmen“, sed aeque ac Casaubonus verba *ἢ λέγειν ὅτι ἐστὶ πάνειον* ad ipsos milites referunt, cum pergunt: . . . „oder sagen; es sei ein panischer schrecken.“ Num vero hac explicatione probus sensus efficitur? Num ipsis militibus perterritis potest praecipi, ut terrorem esse inanem repentemque dicant? Immo rectius propter totam sententiam verba illa de duce intellegemus, ad quem omnino in comment. poliorc. omnia prae-

---

[133]) De similibus additamentis cf. pag. 181 fin. — 183 (C, I, 2).

cepta spectant, nisi qua alia certa persona nominatur. Ut igitur comperimus saepius in proeliis duces, cum suos in angustiis versari viderent, dolo animos suorum excitasse, perterruisse hostes, cum magna voce exclamassent: „fugiunt hostes“ vel tale quid, ita simillime Aeneas ducem, si milites perterritos senserit, iubet pronuntiare *ὅτι ἐστὶ πάνειον* (i. e. inanem esse terrorem, casu quodam perturbatos milites pavere) omnesque, qui hoc audiant, proximis idem enuntiare, bonum profecto praeceptum! Quod cum ita sit, non abest suspicio facillima mutatione adhibita § 3 initium sic esse scribendum: *ἄριστον δ' ἢ προπαρηγγέλθαι . . . (ἢ λέγειν κ. τ. λ.)*: ita enim accuratius hae duae sententiae inter se distinguuntur.

XXII, 19 tradita sunt verba *ἅμα δὲ τούτοις μηδὲ τὰς ἀναβάσεις ἐπὶ τὸ τεῖχος εὐπόρους εἶναι, ἀλλὰ κλειστὰς, ἵνα μηδενὶ ἐγγίγνηται προκαταλαμβάνειν τι τοῦ τείχους βουλομένῳ ἐνδοῦναι τοῖς πολεμίοις, ἀλλ' ὦσι φύλακες, οὓς ἂν σὺ βούλῃ, ἐξ ἀνάγκης ἐπὶ τοῦ τείχους διατελοῦντες καὶ μὴ καταβαίνοντες, ἄν τέ τινες ἔξωθεν τῆς πόλεως λάθωσιν ὑπερβάντες, μὴ ῥᾳδίως διὰ ταχέων καταβαίνωσιν ἀπὸ τοῦ τείχους εἰς τὴν πόλιν κ. τ. λ.* — Hugius pag. 20 enuntiatum *ἀλλ' ὦσι φύλακες — μὴ καταβαίνοντες* ex margine irrepsisse putat, quod primum *οὓς ἂν σὺ βούλῃ* vocabula supervacanea sint, quasi scalis non clausis alii essent custodes, quam quos imperator esse iussisset, deinde quod male dictum sit *ὦσι διατελοῦντες* pro *διατελῶσι ὄντες*, denique quod is qui haec scripserit, immemor vigiliarum vicis censuerit custodes toto tempore in muris manere. — Sed praetervidit Hugius et multo leniori medela locum sanari posse et sententia ipsa efflagitari, ut verba illa retineantur. Apparet enim verba *ἄν τέ τινες ἔξωθεν κ. τ. λ.* arte coniungenda esse cum illis *ἵνα μηδενὶ ἐγγίγνηται προκαταλαμβάνειν — πολεμίοις* et propter sensum et propter *τε* voculam in initio positam, quamobrem enuntiatum *ἀλλ' ὦσι φύλακες — καταβαίνοντες* hic exaratum esse arbitror, cum ante *ἵνα μηδενὶ ἐγγίγνηται* ponendum fuerit, versuum ordine

mutato. Praeterea voces *ἀλλ' ὦσι* una ex iis, quae antea scripta videntur fuisse, *ἅμα δέ* corruptas puto. *AMA* et *AΛΛA* saepius a Medicei librario confusa esse edocui pag. 63. Totum igitur enuntiatum sic restituendum esse censeo: *ἀγαθὸν δὲ ἅμα τούτοις μηδὲ τὰς ἀναβάσεις ἐπὶ τὸ τεῖχος εὐπόρους εἶναι, ἀλλὰ κλειστάς, ἅμα δὲ φύλακας, οὓς ἂν σὺ βούλῃ, ἐξ ἀνάγκης ἐπὶ τοῦ τείχους διατελοῦντας καὶ μὴ καταβαίνοντας, ἵνα μηδενὶ ἐγγίγνηται προκαταλαμβάνειν τι τοῦ τείχους βουλομένῳ ἐνδοῦναι τοῖς πολεμίοις, ἄν τέ τινες ἔξωθεν τῆς πόλεως λάθωσιν ὑπερβάντες, μὴ ῥᾳδίως διὰ ταχέων καταβαίνωσιν ἀπὸ τοῦ τείχους εἰς τὴν πόλιν κ. τ. λ.* Custodum mentionem omitti non posse et ea edocent, quae III, 3 iubentur: *ἐὰν δὲ (οἱ) πολῖται ἐν ὑποψίᾳ πρὸς ἀλλήλους ὦσι, κατὰ ἀνάβασιν ἑκάστην τοῦ τείχους δεῖ ἐπιστῆσαι ἄνδρας πιστούς, οἳ κωλυταὶ ἔσονται, ἄν τις ἐπιχειρῇ ἄλλος ἀναβαίνειν*, et nostri cap. § 20: *μετὰ δὲ τὴν ἔξω ναυμαχίαν ὁ φρούραρχος Νικοκλῆς τὰς ἀναβάσεις κλειστὰς ποιήσας κατέστησε φύλακας ἐπὶ τῷ τείχει, ἔξω δὲ τῆς πόλεως περιοδείας ἐποιεῖτο μετὰ κυνῶν:* hoc igitur novum adiecit Nicocles, ut insuper canibus circumiret extra muros. Minime autem superflua esse verba *οὓς ἂν σὺ βούλῃ* intelleges comparatis illis III, 3 vocibus *δεῖ ἐπιστῆσαι ἄνδρας πιστούς:* nostro igitur loco imperator iubetur custodes collocare *μὴ τοὺς τυχόντας*, sed quos ipse velit, i. e. electos, quibus maxime confidat. Verba denique *καὶ μὴ καταβαίνοντας* offensionis ansam nullam praebere, cum totum hoc praeceptum ad dies festos publicos celebrandos tantum spectet (cf. § 16—18), unusquisque videt. — Praeterea, quod ad singula pertinet, voces *ἐξ ἀνάγκης* cum iis, quae statim insequuntur, *ἐπὶ τοῦ τείχους διατελοῦντας* coniungendas esse satis patet.

Sed ne si abiudicandum quidem esset illud enuntiatum ab Aenea, novum militare praeceptum additum esse, sed quae Aeneas III, 3 iusserat, hic repetita esse ab interpolatore iudicari deberent; de qua tamen ratione cogitari omnino nequit.

Quomodo „insolentis stultitiae“ accusari possit is, qui post verba *ἀφ' ὑψηλῶν καταπηδῶντες κινδυνεύειν* apposuit *μήτε λαθεῖν μήτε φθάσαι*, quae postea *καί* vocula addita in textum recepta sunt, non video: nam adiecit illa ad explicandum verbum *κινδυνεύειν*, periculum in eo positum ratus, quod hostes desilientes e muro non laterent nec praevenirent oppidanos, cum ex Aeneae sententia id potius timendum esset hostibus, ne perirent aut membra contunderent.

Eiusdem interpolatoris, cui praecipue hostes e muro desilientes ante oculos versati sint, additamenta Hugius XL, 1 tenere sibi videtur, quo loco Aeneas eos, qui minore militum numero urbem defendere velint, haec facere iubet: *χρὴ τῆς πόλεως ὅσα ἂν ᾖ εὐπρόσοδα οἰκοδομεῖν ὑψηλὰ ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, ἵνα ἄν τινες τῶν πολεμίων ἢ λαθραίως ἢ βίᾳ ἀναβῶσιν, ἐν ἀπορίᾳ γενόμενοι μὴ δύνωνται καταπηδᾶν ἀφ' ὑψηλῶν, ἀλλὰ πάλιν ἀπίωσι μὴ ἔχοντες ὅπῃ καταβαίνωσι. παρὰ δὲ τὰ ᾠκοδομημένα ἔνθεν καὶ ἔνθεν φυλασσόντων οἱ ὑπάρχοντες ἄνθρωποι, ἵνα τοὺς καταπηδῶντας ἀπὸ τῶν ὑψηλῶν διαφθείρωσι.* — Hugius pag. 20 verba *ἐν ἀπορίᾳ γενόμενοι μὴ δύνωνται καταπηδᾶν* ut prorsus superflua eicit: sed multo rectius illa *ἀλλὰ πάλιν ἀπίωσι μὴ ἔχοντες ὅπῃ καταβαίνωσι* expunxisset, quae desunt etiam apud Iulium Africanum in cap. LVII, nec, cum antecedat *μὴ δύνωνται καταπηδᾶν*, ferri possunt. Praeterea Hugius verba *παρὰ δὲ τὰ ᾠκοδομημένα — διαφθείρωσι* ut ineptum additamentum expungit, quippe quibus novum ac ridiculum genus custodum constituatur in urbe, quae non satis defensorum habeat. Sed ne hoc quidem concedi potest: nam procul dubio mendosum est illud enuntiatum. Cum enim appareat hoc iis, quae praecedenti enuntiatione continentur: *οἰκοδομεῖν ὑψηλὰ — ἵνα μὴ δύνωνται καταπηδᾶν*, oppositum esse debere — nam ibi erat demonstratum, non esse periculum, ne ab iis muri partibus, quae in altum aedificatae essent, hostes desilirent — non potest dubitari, quin ante verbum *ᾠκοδομημένα* propter litterarum similitudinem (per haplographiam) *οὐκ* vocula

exciderit.[134]) Quo facto lector aliquis verba *ἀπὸ τῶν ὑψηλῶν* apposuit: nam Aeneas simpliciter dicit *ἀφ' ὑψηλῶν* = desuper cf. XXII, 19 et XL, 1, ubi nulla de causa Hercherus verba *ἀφ' ὑψηλῶν* delevit. — Quibus de causis si scribitur: . . *χρὴ τῆς πόλεως ὅσα ἂν ᾖ εὐπρόσοδα οἰκοδομεῖν ὑψηλὰ ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, ἵνα ἄν τινες τῶν πολεμίων ἢ λαθραίως ἢ βίᾳ ἀναβῶσιν, ἐν ἀπορίᾳ γενόμενοι μὴ δύνωνται καταπηδᾶν ἀφ' ὑψηλῶν, ἀλλὰ πάλιν ἀπίωσι. παρὰ δὲ τὰ οὐκ ᾠκοδομημένα ἔνθεν καὶ ἔνθεν φυλασσόντων οἱ ὑπάρχοντες ἄνθρωποι, ἵνα τοὺς καταπηδῶντας διαφθείρωσι,* et sanari locum nec praeter pauca illa, quae removi, quidquam exstinguendum credo. Verba *οἱ ὑπάρχοντες ἄνθρωποι* nihil aliud significare quam, ut vernacula utar: „die leute, welche gerade zu diesem geschaefte verwendbar“ vel „uebrig sind“, facile perspicitur: senes intellege vel alios, qui ad ipsa stipendia merenda inutiles singulos tamen hostes desilientes vel collapsos, cum desiluissent in solum, opprimere possunt.

In fine XXII, 19 Hugius pag. 21 verba *πρέποι δ' ἂν τὸ παρασκεύασμα τοῦτο περὶ τὰς ἀναβάσεις καὶ ἐν τυράννου ἀκροπόλει* eidem interpolatori tribui vult, qui XXIX, 1 *ἀκρόπολιν* et X, 11 *τύραννον* induxerit. Quae sententia quibus argumentis nitatur, non video: num enim nunquam Aeneae in comment. poliorc. *ἀκροπόλεως* mentionem facere licet? Certe XXIX, 1 longe aliter se habet res: ibi enim verba corrupta interpolatoris esse et sententia inepta edoceri et eo quod structuram conturbarent, recte Hercherus demonstravit. Hugius autem ipse sibi obloquitur, quippe qui hic quidem contendat tyrannos ab Aenea numquam commemorari, X, 16 tamen, iniuria deletis vocibus *μονάρχῳ ἢ στρατηγῷ*,[135]) negare non audeat *δυναστεύοντος* mentionem retinendam esse, qui quomodo a tyranno differat, non magis perspicuum est quam cur *δυναστεύοντα* commemorare licuerit

---

[134]) Cf. pag. 61; de ceteris lacunis cf. pag. 62. — *μὴ* minus aptum foret, quoniam participium *ᾠκοδομημένα* non hypothetice dictum est.

[135]) Cf. pag. 158—159.

Aeneae, non licuerit *τυράννου* mentionem facere. Nec iusta causa Hugius cum Herchero X, 11 *τυράννων* vocem sustulit.[136]) Accedit, quod nullo modo verba *πρέποι δ' ἂν τὸ παρασκεύασμα — ἐν ἀκροπόλει* a loci sententia absona sunt: nam Aeneas libellum suum in usum omnium, non certae cuiusquam factionis composuit; cum vero tyranno semper fere metuenda sit civium seditio, arcem aditusque eius semper, quam optime potest, custodire debet. Vocabula *τὸ παρασκεύασμα — περὶ τὰς ἀναβάσεις* aptissima esse sermoni Aeneae, intelleges comparatis iis exemplis, quae pag. 29 (cap. I, C, I, 4, a) et pag. 47 (ib. II, 9, c) congessimus.

XXVI, 9 Aeneas postquam, si qua graviore calamitate affectus esset exercitus, circitores non eniti iussit, ut aliquos vigilum deprehenderent *ἀμελεστέρως διακειμένους διὰ ὕπνον ἢ κάματον*, ne maiore etiam metu afficerentur milites, ita pergit: *καὶ τοὺς περιόδους ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς ἐκ πλείονος καταδήλους εἶναι προςιόντας τοῖς φύλαξι φωνοῦντάς τι πόῤῥωθεν, ὅπως ἀνεγερθῇ* (ita rectius Meinekius quam *ἂν ἐγερθῇ* Herch. cum cod. Med.) *ἐὰν καθεύδῃ ὁ πρόφυλαξ καὶ παρασκευάσηται ἀποκρίνασθαι τὸ ἐρωτώμενον.* Ad quae Hugius pag. 21 annotat: „Quodsi tam molliter et delicate haberi voluit vigiles, quidni iusserit, quod sane simplicius erat, lectos et stragula eis sterni? .. Itaque rhetorem, non militem haec excogitasse censeo.“ — Sed plane eum a vero aberrasse credo. Nam aequo iure eadem de § 8 verbis *οὐ δεῖ προθυμεῖσθαι ἐν ταῖς περιοδείαις εὑρίσκειν τινὰς τῶν προφυλασσόντων ἀμελεστέρως διακειμένους διὰ ὕπνον ἢ κάματον κ. τ. λ.* dicere poterat, quo de § 9. Immo § 9 exponitur, quomodo perficiatur id, quod § 8 iussum erat: ut igitur indulgeatur militibus defessis, circitores appropinquantes iubentur sonitu quodam excitare vigiles, si qui forte somno oppressi sint, ne hi dormientes deprehendantur: nam ut in deprehensos animadvertatur, disciplina militaris postulat. Per se autem elucet nec magnum

[136]) Egi de hoc loco pag. 73.

strepitum neque ex longo intervallo effici iuberi. — Quare quoniam, si recte Hugius suspicatus esset, et § 8 et 9 delendae essent, nihil mutandum censeo, cum neutra a sententiarum conexu abhorreat neque altera exstincta altera iure retineri possit.

Nec melius de III, 3 initio, quod sic legitur: *ὁμοτρόπως δὲ καὶ φρουρίου ὑπὸ συμμάχων φρουρουμένου μέρος τι τοῦ τείχους τῶν συμμάχων ἑκάστοις ἀποδιδόσθω φυλάττειν*, Hugius statuit. In antecedentibus cum praecepisset Aeneas subito periculo exorto secundum tribus murum esse committendum civibus, hic simile de sociis suadet. Hugius vero pag. 21 his usus verbis enuntiatum, de quo agitur, pro additamento habendum putat: „Quae inepte sunt efficta ad exemplar § 1, ubi in urbe quae ex improviso, ut non posset ab ea defensio parari, ab hostibus oppugnaretur, secundum tribus civibus murum esse partiendum Aeneas dixerat. Nec enim profecto in tali tempore poterunt extrinsecus socii accersiri nec perspicitur hoc loco quid *φρούριον* sit praeter muros nec omnino usquam hac voce usus est Aeneas.“

At quisnam de arcessendis sociis cogitavit, nedum verba fecerit? Profecto non scriptor ille — sive Aeneas sive alius est — qui dicit *φρουρίου φ ρ ο υ ρ ο υ μ έ ν ο υ ὑπὸ συμμάχων*. Absurdius autem est, si de stationibus defensorum distribuendis agitur, de arcessendis extrinsecus sociis cogitare. Deinde quod Hugius dicit non perspici, quid *φρούριον* sit praeter muros, minime recte se habet: nam nihil aliud in verbis inesse potest quam hoc: „si o p p i d u m m u r i s s t a - b i l i t u m a sociis defenditur, eodem modo muri inter singulas illorum partes sunt dividendi, quo inter singulas civium tribus partiendos supra praescriptum erat (§ 1)“; patet praeterea non solos muros a sociis *φρουρεῖσθαι*, sed totum oppidum. Quod denique monet numquam vocabulo *φρούριον* Aeneam usum esse, et ipse Aeneas verbis *φρουρεῖν, φρουρά, φρουρός, φρούραρχος* usus est, et *φρούριον* illud apud Thucydidem, Xenophontem alios minime raro invenitur. — Quamobrem nisi quis melioribus argumentis nixus verba abiudi-

cabit Aeneae, retinenda erunt in textu, quippe quae offensionem nullam praebeant.

XXVII, 15 Aeneas, cum in iis, quae praecedunt, §§ de panicis terroribus egisset, praecipit haec: *γενομένης δὲ ἡμέρας τοὺς φύλακας μὴ ἀπιέναι ἐκ τῶν φυλακείων πρὶν ἂν τὰ ἔξω προερευνηθέντα ἐμφανισθῇ καθαρὰ ὄντα πολεμίων· καὶ ἀπιέναι τοὺς ἀπὸ τῶν φυλακείων μὴ ἅμα πάντας, ἀλλὰ κατὰ μέρη, ὅπως ἀεί τινες ἐπὶ τοῖς φυλακείοις διατελῶσιν.* — Quae omnia Hugius pag. 22 exstinguenda censet, primum quod illa ab hoc loco, ubi de panicis terroribus praecipiatur, aliena sint. Quod deinde altera enuntiati parte praescribatur, ne unquam murus obsessae urbis vacuus relinquatur, hoc per se intellegi; quod autem in prioribus verbis vetentur custodes dimitti antequam *τὰ ἔξω προερευνηθέντα ἐμφανισθῇ καθαρὰ ὄντα πολεμίων,* id se vereri ne numquam fieri possit in urbe ab hostibus circumsessa. Quando ergo possint dimitti custodes? Conformata esse verba ex XXVIII, 4 *ἔξω τε μηδένα ἀφίεσθαι πρὶν ἂν ἐξερευνηθῇ τὰ περὶ τὴν πόλιν* putat.

Sed omnia illa mihi videtur audacius quam verius contendere. Idem iam Kirchhoffius[137]) intellexit, § 15 difficultates nullas praebere, immo necessariam ad totam rem esse affirmans. Ac mea quidem sententia is est conexus rerum, ut inde a cap. XXII, usque ad XXVII, 14 de omnibus, quae ad obsessam urbem noctu custodiendam pertinent, agatur: nam ad *νυκτοφυλακεῖν* illud *ἐν τοῖς κινδύνοις* non solum spectare, quae de ipsis vigiliis instituendis praecipit Aeneas, sed etiam quomodo noctu in hostes erumpentibus oppidanis sit cavendum, quomodo tesserae optime dentur, quomodo circuitionibus provideatur, denique quomodo terroribus panicis, qui plerumque noctu oriuntur, occuratur unusquisque perspicit. Quae cum Aeneas absolvisset, XXVII, 15 ad urbem interdiu custodiendam transit: ac primum quidem hoc ipso loco de custodibus orta luce stationibus suis deducendis verba facit, deinde cap. XXVIII, quomodo caven-

---

[137]) Cf. praefat. edit. Hug. pag. IX.

dum sit, ne portis hostes per dolum et vim potiantur, XXIX—XXX quomodo eorum fraudes evitandae sint, qui arma clam in urbem importare vel emptione magnam armorum multitudinem congerere studeant, exponit. (Sequuntur cap. XXXI praecepta de epistularum secreto mittendarum rationibus; cap. XXXII—XL denique Aeneas ostendit, quomodo ipsi oppugnationi occurratur). Artius igitur cum cap. XXVIII—XXX quam cum iis, quae inde a XXII cap. usque ad XXVII, 14 antecedunt, coniungenda est § 15 cap. XXVII. Nec profecto quidquam valet, quod nullo spatio intermisso haec verba iis, quae praecedunt, adiuncta in cod. Med. inveniuntur: quibus cum carere non possimus, discernenda sunt ab antecedentibus, ita ut novo quasi capite exhibeantur. Quod quominus fiat, nihil impedire, quod lemma iis praemissum non est, facile patet: nam et alia omnia lemmata procul dubio a grammaticis vel librariis addita sunt et satis multa capitum initia sine lemmate in Med. exhibentur: I, II, V, VII, VIII, IX, X, XI, XIII, XV, XVII, XVIII, XXI, XXVIII, XXXVI.

Minime superfluum, id quod Hugius contendit, esse hoc praeceptum, ne urbis muri orta luce statim a custodibus relinquantur, immo summi momenti esse ad cives a neglegentia et levitate, quae tam saepe obsessis perniciosae fuere, prohibendos, non est, quod longius exponamus. Praeterea nihil valere hoc suum argumentum, sed saepius apud Aeneam inveniri, quae nobis superflua videantur, Hugius in novissimi libelli inscripti „Aeneas von Stymphalos etc.“ pag. 22 diserte demonstravit. Verba denique *πρὶν ἂν τὰ ἔξω προερευνηθέντα ἐμφανισθῇ καθαρὰ ὄντα πολεμίων* nihil offensionis praebere, cum significent „priusquam extra muros omnia tuta ab hostibus esse (i. e. hostes nihil facere, quod periculosum esset urbi) nuntiatum esset“ Hugius quoque procul dubio intellexisset, nisi praeoccupata opinione ad Aeneam tractandum aggressus expungere verba quam explicare mallet. Nihili praeterea est, quod Hugius dicit illam § 15 comparatam esse ex XXVIII, 4 *ἔξω δὲ μηδένα ἀφίεσθαι πρὶν ἂν ἐξερευνηθῇ*

τὰ περὶ τὴν πόλιν, quae verba ad rem toto genere diversam spectant.

Iniuria denique Hugius XXXVIII (quo capite Aeneas docet, quid oppugnatis civibus sit faciendum) 3 eicit, quae sic legitur: *τάς τε κύνας δεσμεῖν τὸν καιρὸν τοῦτον. μετὰ γὰρ ὅπλων καὶ θορύβου τῶν* (Med. *θορυβούντων*) *ἀνθρώπων τρεχόντων κατὰ τὴν πόλιν δι' ἀήθειαν* (*ἀλήθειαν* Med.) *δρῶσαι αἱ κύνες ὀχλοῖεν ἂν προςκείμεναι.* Eundem interpolatorem, qui XXIV, 18 addidisset verba *προενθυμεῖν δὲ τῶν κυνῶν μὴ διὰ τὸν συριγμὸν ἀσύμφορον ἐξ αὐτῶν ᾖ,* tenere sibi visus Hugius pag. 22: „Canes removero," inquit, „quorum mentio in oppugnatione cum per se ridicula sit, tum hoc loco inepte est et indigne inserta praeceptis ab imperatore datis (§ 2 oportere eum laborantibus cum electis succurrere, § 4 oratione pugnantes adhortari atque confirmare). Neque denique intellego quomodo possint canes qui in urbe sunt pugnantes in muro *ἐπὶ τῷ τείχει μαχομένους* (§ 3) turbare, *προςκείμεναι ὀχλεῖν.*" Sed primum quidem Aeneas § 4 demum et 5 praecipit, quemadmodum ipse imperator adhortari debeat milites, quemadmodum in neglegentes animadvertere, cum §§ 1—2 quomodo copiae distribuendae essent, et quid cuique parti esset faciendum, exposuisset. § 3 autem, ut urbis viae quam maxime sint expeditae defensoribus, huc illuc, ut tali tempore fieri solet, properantibus, canes vinciri iubet: nam qui homines ex altera urbis parte in alteram quam celerrime contendunt, profecto canibus insectantibus aggredientibusque retardantur: quare quid ridiculi in § 3 insit non video. Deinde ridicula potius sunt, quae Hugius dicit „non intellego quomodo possint canes qui in urbe sunt pugnantes in muro turbare": nam praeter eum nemo non perspexit verba *τοῖς ἐπὶ τῷ τείχει μαχομένοις* ex *παραινεῖν* illo pendere, id quod insuper *δέ* voce in novi enuntiati initio posita demonstatur; nec praeterea tantam insaniam interpolatori, quem statuit, imputare debebat Hugius. — Aeque bene ergo hic canes commemorari videmus atque XXII, 14; 20; XXIII, 2.

At ne Herchero quidem, quod ad textum huius loci constituendum pertinet, assentior: hic enim malle se dicit masculinas formas *τοὺς κύνας* et *προςκείμενοι* ponere, quod XXII, 14 (falsus § numerus in eius annotat. exhibetur) masculine vox *κύων* adhibita sit. Tamen cum iam apud Homerum et masculine et feminine nullo discrimine usurpata sit, et posteriore quoque aetate promiscue utrumque genus usitatum inveniatur, non est, quod ab uno Aeneae loco profecti, ubi aperte vox masculine adhibetur (nam alibi utrum genus statuendum sit, non potest discerni), unam masculinam formam Aeneae tribuendam censeamus: ipse quoque Hercherus XXXI, 32 legit *ταῖς κατ' Ἤπειρον κυσί.* — Deinde idem cum verba *δι' ἀήθειαν ὁρῶσαι αἱ κύνες* copulari non posse videret quidem, sed de emendandis illis desperaret, vocabula *ὁρῶσαι αἱ κύνες* in marginem rescripsit. Multo autem et melius et facilius sanabimus locum scribendo *δι' ἀήθειαν ὁρμῶσαι αἱ κύνες* „canes propter insolitum strepitum egressi in vias“: ita demum bene se habent verba *δι' ἀήθειαν.* — De *ὁρμᾶν* verbi activa forma ab Aenea adhibita cf. pag. 48.

Totum igitur locum remoto Hugiano illo interpolatore, canibus retentis scribemus: *τάς τε κύνας δεσμεῖν τὸν καιρὸν τοῦτον· μετὰ γὰρ ὅπλων καὶ θορύβου τῶν ἀνθρώπων τρεχόντων κατὰ τὴν πόλιν δι' ἀήθειαν ὁρμῶσαι αἱ κύνες ὀχλοῖεν ἂν προςκείμεναι.* — Ex hac autem § et XXIII, 2 efficta sunt procul dubio obscura verba XXIV, 18: *προενθυμεῖν δὲ τῶν κυνῶν, μὴ διὰ τὸν συριγμὸν ἀσύμφορον ἐξ αὐτῶν ᾖ* ab homine, qui cum Aeneam ipsum illis locis videret exponere esse cavendum, ne strepitu excitati canes nocerent oppidanis, hic quoque, ubi de *συριγμῷ* agitur, canum mentionem non omittendam esse putabat. Hercherus in annot. ed. satis de his verbis exposuit.

Recte Hugius expungere mihi videtur XXII, 8 (pag. 22), ubi tamen ipse concedit non novum militare praeceptum inveniri, sed inanem repetitionem antecedentis § 7.

Iam igitur vides, nusquam Hugium demonstrare po-

tuisse, revera novum militare praeceptum ab interpolatore genuinis Aeneae verbis esse adscriptum.

Absoluta hac quaestione iam contemplemur

2. Quae leviora amplificandi illustrandi explicandi causa adscripta esse Hugius existimaverit.

Huiusmodi additamenta cum plurimis locis Hercherus iam sustulisset, Hugius multa eum praetervidisse ratus inde a pag. 23—24 enumerat, quae praeterea sibi hoc modo in textum irrepsisse videantur. Quorum in numerum falso eum rettulisse puto hos locos:

XXII, 25 Aeneas, ubi de aequandis vigiliis exposuit, pergit verbis *περὶ μὲν οὖν φυλακῶν ἰσότητος ἱκανῶς μοι δεδηλώσθω*. Haec Hugius pag. 23, quod numquam Aeneas ea transitionis formula usus sit, et quod verba *ἱκανῶς μοι δεδηλώσθω* inepta sint, quoniam Aeneas paucis lineis ipsa § 25 totum locum de vigilum vice exaequanda absolverit, in marginem rescribit. — Sed primum quod numquam Aeneas hac transitus formula usus est, nihil valet, cum et in XL capitibus iidem transitus saepius repeti vix possint, et quattuor aliis locis,[138]) ubi per totum enuntiatum transitur ad sequentem partem, alia semper formula inveniatur: XIV, 1; XXI, 2; XXIX, 1; XL, 8. Num igitur eadem de causa illa quoque verba Hugius exstinguenda censet? Quod vero alterum argumentum Hugius profert, id nihilo validius est: an non satis § 24 (nam hac quoque de vigiliis exaequandis agitur) et 25 Aeneam exposuisse rationem illam putat? Quidnam praeterea scriptori dicendum fuisse censet? Qualia cum vix reperiantur, retineamus verba *περὶ μὲν οὖν φυλακῶν ἰσότητος ἱκανῶς μοι δεδηλώσθω*. Neque vero bene ea ab editoribus in fine § 25 ponuntur: cum enim verbis illis ad novam rem transeatur, in initio sequentis § collocanda sunt, id quod etiam cap. XIV initio videtur monstrari: *τοῖς μὲν οὖν ἐν τῇ πόλει ὑπεναντία θέλουσι τοῖς καθεστηκόσι*

---

[138]) Cf. pag. 43—44. (Cap. I, C, II, 4.)

προςφέρεσθαι, ὡς προγέγραπται· τὸ δὲ πλῆθος τῶν πολιτῶν εἰς ὁμόνοιαν χρὴ — προάγειν. In cap. XXII igitur scribemus: § 26 *Περὶ μὲν οὖν φυλακῶν ἰσότητος ἱκανῶς μοι δεδηλώσθω· ἐν δὲ τοῖς ἀκινδυνοτέροις τοὺς ἡμίσεις — χρὴ τετάχθαι κ. τ. λ.*

XV, 9 Hugius pag. 25—26 verba: *οὐδὲ γὰρ ἀκούσαντες τὸν ὄλεθρον τῶν πρώτων ἐπεξελθόντων οἱ ἄλλοι ἐπέσχον τῆς βοηθείας, ἀλλ' ἄλλος ἄλλον παρακαλῶν ἔσπευδε βοηθεῖν τοῖς ἐπεξελθοῦσι, μέχρι ἠρημώθη ἡ πόλις ἀνδρῶν,* ut rhetoricas ambages, quibus nil possit esse languidius et obscurius (!) eicienda censet. Esse enim, in quo admiremur, cur eorum qui *πασσυδί* dicti sint profecti esse partes distinguantur (*τῶν πρώτων ἐπεξελθόντων*). — Quae ipsa verba luculentissime ostendunt perperam locum per se omni suspicione liberum ab Hugio intellectum esse. Nam perierunt Abderitae, quia victoria nimis elati quam celerrime poterant (*πασσυδί*, vernacula „in aller hast“) suis adversus Triballos auxilio properaverunt, cautione omni omissa: neque enim *πασσυδί* vocabulum potest omnino hoc loco significare „omnibus copiis“, cum omnibus copiis succurrere per se non sit incautum vel perversum, sed nullo ordine, nimis festinanter exercitum ex urbe educere. Neglexerunt igitur Abderitae ea, quae §§ 2—4 Aeneas praecipit, cuius neglegentiae gravissimas poenas solverunt.

Quomodo cum propter totum rerum conexum vox *πασσυδί* interpretanda sit, aptissime verba illa, quae Hugius delet, sequuntur, quibus ipsis etiam recte nos praecedentia intellexisse ostenditur: nam voces *ἄλλος ἄλλος παρακαλῶν ἔσπευδε βοηθεῖν τοῖς ἐπεξελθοῦσι* nimia cum celeritate omnia perpetrata esse edocent.

De XXIII, 2 (falso proll. pag. 26 legitur: 3) cf. pag. 91—93.

XXIV, 6 sq. de Ilio a servo prodito narrantur haec: *γενόμενος δ' ἔξω καὶ διαλεχθεὶς τῷ Χαριδήμῳ ἔλαβε παρ' αὐτοῦ ξένους ὡς τριάκοντα τεθωρακισμένους καὶ ἔχοντας ἐγχειρίδια καὶ περικεφαλαίας.*[139]) *ἀπήγαγέ τε οὖν αὐτοὺς ἐν*

[139]) Post hoc verbum Med. praebet *κορυφαίας*, quod mihi aut ditto-

ἐσθῆτι φαύλῃ καὶ ἔκρυψε τὰ ὅπλα καὶ ὁμοιώσας αἰχμαλώτοις μετ᾿ ἄλλων γυναικῶν καὶ παιδαρίων καὶ τούτων ὡς αἰχμαλώτων εἰςεπορεύετο ἀνοιχθεισῶν αὐτῷ τῶν πυλῶν διὰ τὸν ἵππον. Recte Hugius pag. 27 scribit *ἐν ἐσθῆτι φαύλῃ κρύψας τὰ ὅπλα.* Minus vero placet, quod vocabula *μετ᾿ ἄλλων γυναικῶν καὶ παιδαρίων* expungit: nam servus, ne suspicionem custodum moveret, quod viriles tantum et adulti captivi introducerentur, mulieres aliquas et liberos una cum illis ad portas adduxit: de aucto numero triginta hominum infinita mulierum et puerorum puellarumque multitudine cogitari non posse per se apparet. Neque vero perspicio, quid sibi velint Hugii verba pag. 28: „nec profecto est ex more urbis obsessae consumptis cibis (§ 4) introducere vel introduci sinere eos qui aut aetate aut valetudine inutiles sint bello:“ num enim omnino ex § 4 verbis *ἐξεπορεύετο καὶ εἰςεπορεύετο εἰςάγων τὰ ἀγρευθέντα ἑκάστοτε* potest concludi Ilion inopia cibi pressum esse? Deinde num captivi obsessis utiliores sunt quam captivae vel pueri? Nonne semper, si captivi stipendia merere coguntur, timendum est, ne prodant eos, a quibus capti sunt? Illud igitur argumentum nihil valet. Ad verba *μετ᾿ ἄλλων γυναικῶν καὶ παιδαρίων* illa *καὶ τούτων ὡς αἰχμαλώτων* inepte in margine ab interpolatore addita esse, ne obliviscerentur lectores, quae praecedunt: *ὁμοιώσας αἰχμαλώτοις*, satis clarum est. Quamobrem § 7 sic scripserim: *ἀπήγαγέ τε οὖν αὐτοὺς ἐν ἐσθῆτι φαύλῃ κρύψας τὰ ὅπλα, καὶ ὁμοιώσας αἰχμαλώτοις μετ᾿ ἄλλων γυναικῶν καὶ παιδαρίων εἰςεπορεύετο ἀνοιχθεισῶν αὐτῷ τῶν πυλῶν διὰ τὸν ἵππον.* —

§ 8 verba *καὶ εἰς ἄλλας ξένας πράξεις ὁρμήσαντες* suo iure Hugius e textu removere atque ibidem *καί* ante *κατέλαβον* verbum dittographia sequentis syllabae ortum esse recte iudicare videtur. Pro *ἐγκρατεῖς ὄντες* procul dubio *ἐγκρατήσαντες* scribendum est: cf. pag. 60 et 64.

XXVIII, 4 praecipit Aeneas: *ἔξω τε μηδένα ἀφίεσθαι πρὶν*

---

graphia syllabarum *κεφαλαίας* ortum aut ab aliquo ad *περικεφαλαίας* glossematis modo adiectum videtur.

ἂν ἐξερευνηθῇ τὰ περὶ τὴν πόλιν, ἔτι τε μηδὲ πλοῖα κατ' αὐτὰς ὁρμίζεσθαι ἀλλ' ἀπωτέρω, ὡς ἤδη γε καὶ ἡμέραι πολλαὶ πράξεις ἀνοιχθεισῶν ἀμφοτέρων πυλῶν γεγόνασιν ἐπιτεχνασμάτων καὶ προφάσεων τοιῶνδε ἐφ' ἑνὸς ἔργου πολλὰ παραπλησίως τούτῳ πραχθέντα. Sequitur narratio de Clazomenis dolo a Pythone oppressis. — Et plures et graviores corruptelae in § 4 insunt. Pro *ἡμέραι* illo recte iam Gronovius *ἡμέρας* posuit. Neque vero sufficit ad sanandum locum, quod praeterea Orellius pro *ἐπιτεχνασμάτων* scribit *ἐπὶ τεχνασμάτων*, Meinekius *ἀπὸ τεχνασμάτων*, nec quod Casaubonus ante voces *ἐφ' ἑνὸς ἔργου* inserendum putat verbum *δηλώσω:* nam altera ex parte verbis *δηλώσω ἐφ' ἑνὸς ἔργου πολλὰ παραπλησίως τούτῳ πραχθέντα* non potest ea, quam Casaubonus vult, sententia subesse „unum exemplum afferam, unde multa, quae similiter gesta sunt, intellegi poterunt“, altera ex parte, etsi de his illi assentiri possemus, *ἑνός* illud non recte se haberet, cum duo exempla proferat Aeneas. Turicenses *ἃ* voculam ante *ἐφ' ἑνός* excidisse et lacunam in extremo enuntiato statuendam esse censent. Quibus rationibus cum non multum proficiatur, Hercherus se in corruptissimo loco Medicei lectionem intactam relinquere maluisse dicit, Hugius vero pag. 28—29 his de causis verba *ἐφ' ἑνὸς ἔργου πολλὰ παραπλησίως τούτῳ πραχθέντα* ad interpolatorem relegat: „In priore“, inquit, „enuntiato marginalem quandam notam quae sic fuerit scripta: *ἐφ' ἑνὸς ἔργου γνοίης ἂν παραπλησίως τούτῳ πραχθέντα* in orationem male inrepsisse existimo. Nec enim quidquam profeceris si cum Casaubono vel ante vel post haec verba quae extant in codice: *ἐφ' ἑνὸς — πραχθέντα* signum lacunae posueris: quando ex consuetudine Aeneae est, ut *τοιόςδε, ὅδε* pronomina vel *ὧδε* adverbium, quibus exempla introduci solent, nullo alio interiecto enuntiato statim sequatur exemplum ipsum . . . . . . Haec si reputaveris mecum haec verba ex oratione removebis: cui accedit ne verum quidem esse subsistere scriptorem in uno exemplo adferendo (*ἐφ' ἑνὸς ἔργου*): duo enim sequuntur eiusdem generis facta.“

Num vero credi potest quemquam sanae mentis hominem, quamvis duo exempla ab Aenea proferri videret, nihilominus dixisse *ἐφ' ἑνὸς ἔργου* eo sensu, quo et Casaubonus et Hugius verba intellegi volunt? Quod cum equidem mihi persuadere nequeam, aliter mihi quam Hugio de hoc loco statuendum videtur. Verba enim *ἐφ' ἑνὸς ἔργου* non cum iis, quae sequuntur, sed cum antecedentibus conectenda puto atque ita quidem, ut in *ἐπί* praepos. finalis vis insit.[140]) Duplicem deinde rationem emendandi loci proposuerim. Atque ut prius de ea agamus, quae propior ab Hugiana abest, ita scriptis verbis bonum sensum effici puto: . . *ὡς ἤδη γε καὶ ἡμέρας πολλαὶ πράξεις ἀνοιχθεισῶν ἀμφοτέρων πυλῶν γεγόνασιν ἀπὸ τεχνασμάτων καὶ προφάσεων τοιῶνδε ἐφ' ἑνὸς ἔργου,* quae sic fere vertam: „. . . cum iam interdiu multa facinora apertis ambabus portis perpetrata sint ex huiusmodi fraudibus et molitionibus ad unum certum dolum perficiendum susceptis." Quodsi ita legimus, verba *πολλὰ παραπλησίως τούτῳ πραχθέντα* a lectore, qui multa similiter gesta noverat, in margine apposita fuisse ad § 5 (vel si rectius forsitan *τούτοις* scribitur ad §§ 5—7) debemus statuere.

Sed fortasse ne haec quidem abicienda sunt. Paulo longius enim progressi in sanando loco desperato ab interpretibus, si sic verba constituimus: . . . *ὡς ἤδη γε καὶ ἡμέρας πολλαὶ πράξεις ἀνοιχθεισῶν ἀμφοτέρων πυλῶν γεγόνασιν ἐπιτεχνασαμένων καὶ προφθασάντων τινῶν ἐφ' ἑνὸς ἔργου, οἷα πολλὰ παραπλησίως*[141]) *τούτοις πραχθέντα ἐπυθόμην. (Πύθων μὲν κ. τ. λ.)*, aptissima sententia redditur. Facile vero accidere potuisse, ut verba *ἐπιτεχνασαμένων καὶ προφθασάντων τινῶν* corrumperentur in ea, quae Med. praebet, *ἐπιτεχνασμάτων καὶ προφάσεων τοιῶνδε*, vix quisquam negabit. *οἷα* autem propter similitudinem antecedentium litterarum *ου*, *ἐπυθόμην* aut aurium lapsu aut oculorum, cum sequerentur

---

[140]) Cf. pag. 46. extr.

[141]) Idem verbum exstat XI, 10.

voces *Πύθων μέν* et sono simillimae et specie, excidisse puto. Omnino autem minime raro in Med. inveniri locos et pluribus et gravioribus mendis deformatos satis constat.

Lenioribus, quam quas proposui, mutationibus loco corruptissimo mederi non possumus: sive autem prior, sive altera ratio magis tibi arrideat, illud pro certo me demonstrasse puto, perperam Hugium verba *ἐφ᾽ ἑνὸς ἔργου* et cum sequentibus vocabulis copulasse et interpolatori tribuisse.

In § 5, quae sic legitur: *Πύθων μὲν*[142]) *ὁ Κλαζομένιος καὶ τῶν ἐν τῇ πόλει τινῶν συνεθελόντων, τηρήσας ἐπιμελῶς τὸ ἡσυχαίτατον τῆς ἡμέρας, ἁμάξαις ἐκ παρασκευῆς πίθους εἰςαγούσαις κατέλαβε Κλαζομενὰς ἐν ταῖς πύλαις τῶν ἁμαξῶν, καθ᾽ ἃς ξένων προϋπαρχόντων κρυφαίως οὐ πόῤῥω τῆς πόλεως τοὺς μὲν τῶν πολιτῶν λαθόντες, τοὺς δὲ φθάσαντες, τινὰς δὲ τῶν ἔσω συνεργοὺς ἔχοντες κατέσχον τὴν πόλιν,* Hugius Casaubonum secutus post vocem *Κλαζομενάς* participium *μενουσῶν* excidisse statuit, proximis verbis ita, ut Hercherus commendaverat, collocatis: *τῶν ἁμαξῶν ἐν ταῖς πύλαις,* quo spectarent voces *καθ᾽ ἅς,* quae sequuntur. Postrema § verba *τοὺς μὲν τῶν πολιτῶν λαθόντες, τοὺς δὲ φθάσαντες, τινὰς δὲ τῶν ἔσω συνεργοὺς ἔχοντες κατέσχον τὴν πόλιν* Hugius pag. 29 ut inanem repetitionem eorum, quae ineunte § narrata sint, delet: quibus exstinctis pro verbis *ξένων προϋπαρχόντων* scribit *ξένοι προϋπῆρχον.* Sed melius profecto et facilius retentis vocabulis *κατέσχον τὴν πόλιν,* quae ipsa nullam offensionem praebent, quia aliud eorum subiectum est quam verbi *κατέλαβε,* sic scribemus: . . *κατέλαβε Κλαζομενὰς μενουσῶν τῶν ἁμαξῶν ἐν ταῖς πύλαις, καθ᾽ ἃς προϋπάρχοντες κρυφαίως οὐ πόῤῥω τῆς πόλεως ξένοι κατέσχον τὴν πόλιν.*

III, 6 quae post verba *οὕτω γὰρ ἂν τάχιστα εἴς τε τοὺς προςήκοντας ἕκαστοι τόπους ἀφίκοιντο καὶ ἐγγυτάτω τῶν σφετέρων οἴκων εἶεν* sequuntur: *διαπέμποιέν τε ἂν οἰκονομοῦντες πρὸς τοὺς κατ᾽ οἶκον τέκνα καὶ γυναῖκας οὐ πρόσω αὐτῶν δια-*

---

[142]) Non recte de hac voce dubitat Hercherus: respondent verbis *Πύθων μέν* in § 6 *Ἰφιάδης δέ* vocabula.

τελοῦντες, Hugius pag. 30 ab Aenea abiudicat, quod inepte verbis *οὐ πρόσω αὐτῶν διατελοῦντες* idem, quod iam illis *ἐγγυτάτω τῶν σφετέρων οἴκων* expressum sit, repetatur; praeterea non solum ideo Aeneam suadere, ut in suo quisque vico habeat stationem, ut domum mittere possit, sed ut, si res ferat, ipse habeat suos visendi facultatem. Omnem denique orationis aequabilitatem tolli multis his verbis additis ad alterum membrum *καὶ ἐγγυτάτω κ. τ. λ.*

Recte Hugium praeter *τέκνα καὶ γυναῖκας* voces ab Herchero iam expunctas, quae additae sunt ad explicanda verba *τοὺς κατ' οἶκον*, delere illas *οὐ πρόσω αὐτῶν διατελοῦντες* et sententia superflua et *πρόσω* vocabulum ostendit: nam Aeneas *πόῤῥω* formam amplecti solet: cf. XV, 4; 9; XXII, 23; 27; XXIV, 10; XXVIII, 5 al. Minus bene autem Hugius una cum illis verba *διαπέμποιέν τε ἂν οἰκονομοῦντες πρὸς τοὺς κατ' οἶκον* deleta vult: nam his Aeneas novam causam adicit duabus illis, quas vocabulis *οὕτω γὰρ ἂν — εἶεν* attulerat, cur suadeat ut prope (non „in suo vico," ut Hugius dicit) suum quisque vicum stationem habeat. Quodsi Hugius putat non ideo tantum, ut mittere ad suos possint, sed etiam ut possint eos conspicere, cives prope a vicis suis collocari iuberi, hoc multo magis, ut aliqua etiam desideraremus, quam ut deleremus, quae exstant, adduci possemus: sed iam verbis *ἐγγυτάτω τῶν σφετέρων οἴκων εἶεν* illud, quod desiderari possit, satis expressum est. Nec denique paucis illis *διαπέμποιέν τε ἂν οἰκονομοῦντες πρὸς τοὺς κατ' οἶκον* retentis orationis aequabilitatem tolli elucet: omnino autem huic argumento non nimium est tribuendum, cum non rhetor sit Aeneas.

XI, 10 Mediceus haec praebet: *παραπλησίως δὲ ἐν Ἡρακλείᾳ τῇ ἐν τῷ Πόντῳ, οὔσης δημοκρατίας καὶ ἐπιβουλευόντων τῶν πλουσίων τῷ δήμῳ καὶ μελλόντων ἐπιτίθεσθαι, προγνόντες οἱ προστάται τοῦ δήμου τὸ μέλλον, οὐσῶν αὐτοῖς τριῶν φυλῶν καὶ τεσσάρων ἑκατοστύων, ἔπεισαν τὸ πλῆθος ἑξήκοντα εἶναι* (*θεῖναι* Herch.) *ἑκατοστύας, ἵνα ἐν ταύταις καὶ εἰς τὰς φυλακὰς καὶ εἰς τὰς ἄλλας λειτουργίας φοιτῶσιν οἱ πλούσιοι.* Verba

τεσσάρων ἑκατοστύων mendosa esse cum appareat, Haasius, quem Hercherus secutus est, pro *τεσσάρων* proposuit *τριάκοντα,* quam coniecturam ex palaeographica ratione minime probabilem quibus argumentis firmare possit, me quidem fugit. Multo melius Turicenses scripserunt *καὶ τεσσάρων ἐν ἑκάστῃ ἑκατοστύων:* sed facilius etiam corrigemus *καὶ τεσσάρων ἑκάστης ἑκατοστύων,* ita ut per haplographiam, ut ita dicam, similes sequentibus similibus litteras omissas esse statuamus. [143])

Aliter Hugius iudicat, qui pag. 30—31 verba *καὶ τεσσάρων ἑκατοστύων* eicienda censet, cum dicit: „Ut omittam vix posse intellegi, quomodo eadem multitudo in centurias (*ἑκατοστύας*), quarum nomen si non proprie at ex parte ad centenarium fere numerum pertineat, numero prorsus diversas potuerit dividi, in eo videtur verti cardo rerum, ut omissa antiqua illa tribuum divisione, qua generatim et secundum familias nobilitatemque distributi fuerant, Heracleenses dicantur in militia saltem ita dividi coepti esse, ut nobiles divitesque una stipendia inde ab hoc tempore facerent cum infimo loco natis pauperibusque civibus. Tribuum ergo loco, quae divisio ad genus spectarat, centurias illi plebis duces instituisse mihi videntur. Cuius rerum commutationis eadem fuerit vis atque Clistheneae, qua quattuor Atheniensium tribus conversae erant in decem tribus ab illis prorsus diversas“. De reliquis, quae ibi protulit, cf. praef. edit. pag. XI extr. et XII.

Sed quonam consilio quisquam verba *καὶ τεσσάρων ἑκατοστύων* adiecerit? An ut obscuret locum? Quod certe nemo contendet. Nihil autem absurdius cogitari potest, quam quod Hugius dicit interpolatorem, non intellegentem, quomodo centuriae opponerentur tribubus, opponi voluisse magnum centuriarum numerum earundem quae ante fuisset paucitati: num enim statui potest eum, qui non intellegeret, quomodo centuriae opponerentur tribubus,

143) Cf. pag. 61.

tamen verba *καὶ τεσσάρων ἑκατοστύων* opposuisse illis *τριῶν φυλῶν*? Ipse igitur Hugius gravissime sibi obloquitur. — Sed omnino loco ita, ut proposui, constituto bene omnia procedunt; antea enim Heracleenses in tres tribus divisi erant, quae quaternis centuriis constabant. Atque quoniam ex toto rerum conexu elucet divites et pauperes antea non iisdem centuriis comprehensos fuisse, veri est simillimum apud Heracleenses similem civitatis formam valuisse eius, quam Athenis Solon constituit, ita ut secundum rem familiarem singulae tribus et centuriae inter se distributae fuissent. Tribuni plebis autem, ne in futurum tempus divites pauperesque diversis centuriis continerentur, omissa pristina dividendi ratione sexaginta centurias constituerunt, ita forsitan, ut, qui eandem urbis partem incolerent, et divites et pauperes rei familiaris nulla ratione habita eidem centuriae attribuerentur. Neque vero omnino perspicio, cur non eodem modo, quo Clisthenes eandem Atheniensium multitudinem, quae antea in quattuor tribus fuerat divisa, in decem, quibus nihil cum prioribus illis commune erat, distribuit, tribuni plebis Heracleenses efficere potuerint, ut idem populus, qui antea tribus tribubus, centuriis duodecim continebatur, in sexaginta centurias distribueretur, alia distinguendi ratione adhibita. — Quoniam igitur minime verba ita emendata, ut emendanda ea esse luce fere clarius est, offendunt, Hugii suspicio repudianda est.

Praeterea autem non abs re mihi videor addere, fortasse in *δημοκρατίας* voce latere eam, quae item sonabat[144]), *τιμοκρατίας*, quae profecto optime in sententiarum conexum quadraret: nec tamen necessariam esse hanc mutationem contenderim.

XXIX, 8 quomodo coniurati nocte diem festum publicum insecuta consilia sua perpetrare coeperint, Aeneas exponit verbis: *νυκτὸς δὲ γενομένης καὶ ἀθροισθέντων τῶν ἐπιθησομένων, ἑκάστου τηρήσαντος* (Med. *ἕκαστος ὃν ἔδει τηρήσαντες*:

---

[144]) Cf. pag. 63 extr. — 64.

rectum vidit Herch.) *τὸν καιρὸν, ἐν ᾧ μάλιστα οἰνωμένοι ἦσαν οἱ ἄλλοι* (*κατὰ τὴν πόλιν οἱ δὲ ἐν ἑορτῇ* iure Herch. delevit), *πρῶτον μὲν τὸ φόρημα ἐλύθη κ. τ. λ.* Ad quae Hugius pag. 31 annotat: „Cum inepte dicatur pro se quisque tempus quoddam opportunum expectasse, quod omnium esset commune, *ἕκαστος* pronomen ita expungo ut *καί* particula transposita scribam *νυκτὸς δὲ γενομένης ἀθροισθέντων τῶν ἐπιθησομένων· καὶ τηρησάντων τὸν καιρὸν κ. τ. λ.*“ Quibus ipse perperam se conexum rerum accepisse luculenter ostendit: nam ita singula ex Aeneae ratione inter se cohaerent, ut, cum id temporis pro se quisque coniuratorum exspectasset, quo alii i. e. ii, quibuscum diem festum celebrabat, maxime vinolenti essent, in locum constitutum se contulerit: nam si antea e convivio discessissent coniurati, facile alii suspicari potuissent illos novi aliquid gerere velle. Praecedit igitur ea res, quae verbis *ἑκάστου τηρήσαντος τὸν καιρὸν, ἐν ᾧ μάλιστα οἰνωμένοι ἦσαν οἱ ἄλλοι* demonstratur, illud quod vocabulis *ἀθροισθέντων τῶν ἐπιθησομένων* narratur. Postquam illo modo coniurati convenerunt, statim ad opprimendam urbem profecti sunt.

Quae cum ita sint, falso Hugium et *ἕκαστος* vocem delevisse et locum constituisse non est, quod longius exponam. De eiusdem cap. § 5, ubi Hugius pag. 31 voculam *ὡς* post verbum *ἰδόντες* deleri vult, egi in pag. 84.

XXVI, 3 ubi de circuitionibus vigiliarum Aeneas agit, legimus: *περιοδεύειν δὲ ἄνευ λαμπτῆρος, ἂν μὴ λίαν χειμὼν ᾖ καὶ σκότος· εἰ δὲ μὴ οὕτω, ὁ λαμπτὴρ φεγγέτω εἰς ὕψος μὲν μηδὲν (κεκαλύφθω γάρ τινι) ἐπὶ δὲ τὴν γῆν καὶ τὰ πρὸ τῶν ποδῶν* (Med. *διπ̔ων*, cod. Casaub. lacunam quinque litterarum praebet) *μόνον φεγγέτω.* Ut omittam, id quod minoris momenti est, articulum *τά* ante verba *πρὸ τῶν ποδῶν* ab Herchero iniuria eiectum, a Sauppio l. l. pag. 746 defensum esse, statim ad ea veniamus, quae iis, qui nostra aetate in Aenea tractando versati sunt, maxime suspecta sunt visa, vocabula *εἰ δὲ μὴ οὕτω.* Quibus Meierus cumque eo Turicenses ita succurri posse putaverunt, ut adverbium *οὕτω* ad id, quod

sequitur, enuntiatum traherent; Hercherus coniecit scribendum esse *εἰ δὲ εἴη σκότος* Sauppius *εἰ δὲ εἴη οὕτω*. Hugius denique pag. 32 *οὕτω* ab interpolatore additum esse dicit, ignaro, voces *εἰ δὲ μή* nec ullo aut adverbio aut verbo addito a Graecis saepissime et post affirmativum et post negativum enuntiatum adhiberi ea vi „sonst, widrigenfalls." — Mihi vero nulla omnium illarum rationum sanandi loci satis probatur. Quae enim Hercherus et Sauppius illorum verborum loco posuerunt, sensum quidem bonum praebent, sed Hercheri illud *εἰ δὲ εἴη σκότος* longius abhorret a lectione in cod. tradita, Sauppii *εἰ δὲ εἴη οὕτω* longius a sermonis Graeci usu recedit. Meieri vero et Hugii sententiae propterea minus placent, primum quia ambiguus sensus eo modo efficitur, cum facillime, qui ita legit verba, per errorem ad vocabula *εἰ δὲ μή* illa *λίαν χειμών ἐστι καὶ σκότος* supplere possit, deinde quod numquam verba *εἰ δὲ μή* ab Aenea eo sensu, quo Meierus et Hugius volunt, usurpata reperiuntur, quamquam id saepissime poterat fieri apud scriptorem, qui toties iuberet aut vetaret, sed semper post affirmativa enuntiata ea vi „wo nicht": X, 20; XII, 2; XXII, 2; XXXI, 15. Accedit quod non perspicio, cur verbum *οὕτω* ab Hugio eiciatur. Quid enim, si non intellexit „sciolus" ille, qui adverbium *οὕτω* adiecisse dicitur, verba *εἰ δὲ μή*, eo apposito utilitatis cepit ad melius intellegenda vocabula? Nihil certe; nam qui, qualis est hic sententiarum conexus, verba *εἰ δὲ μή* percipere non poterat, nihilo melius voces *εἰ δὲ μὴ οὕτω* percipiebat. Quo enim Hugius hominem illum vocem *οὕτω* rettulisse censet? An ad verba *ἂν μὴ λίαν χειμὼν ᾖ κ. τ. λ.*? Tum profecto melius eam omisisset, qua omissa quoque in eundem errorem incidere poterat. Quare Hugii illud argumentum pro nihilo puto.

Ipse vero duas rationes emendandi loci proponam. Aut enim scribendum censeo pro *εἰ δὲ μὴ οὕτω* verbis *εἰ δ' ἔχοι οὕτω* aut *εἰ δὲ μὴ δυνατόν*, quorum utrumque nullo modo a sermone Graeco abhorret et perfacile ex verbis *εἰ δὲ μὴ οὕτω* commutatur. Si enim mendum in vocibus *δὲ μή* inesse

statuimus, littera ε ad id, quod sequitur, verbum pertinere existimanda est, littera μ ex χ corrupta esse; οι et η denique aurium lapsu inter se confusa sunt: cf. pag. 64. De scriptura δ' ab Aenea adhibita cf. pag. 49 in.

Nec difficilius, si mendum in *οὕτω* vocabulo latere censemus, *δυνατόν* inde eruitur. Nam δ et ο litterae facile commutari poterant, similique oculorum errore vel lapsu calami ex syllaba *τον* ortum est *τω*. Litterae vero *να*, quae est comment. poliorc. natura, facile excidere poterant.

II, 2 in enuntiato: *Λακεδαιμόνιοι δὲ, Θηβαίων ἐμβαλόντων . . . . προαποπληρώσαντες τάς τε εἰςβολὰς καὶ τὰς διόδους καὶ τὰ εὐρύχωρα τοῦ πολίσματος ἐκώλυσαν τοὺς εἰςβάλλειν ἐπιχειροῦντας εἰς αὐτὸ τὸ πόλισμα,* non, ut Hugius pag. 32 putat, oppidum ipsum ab iis locis, quae aditus transitus areae vacuae eius dicuntur, discernitur, sed verba *αὐτὸ τὸ πόλισμα* initio totius enuntiati opponuntur: in terram Lacedaemoniorum etsi irruperant Thebani, quominus in urbem ipsam penetrarent, munimentis illis impediti sunt. Minus recte igitur Hugius voces *εἰς αὐτὸ τὸ πόλισμα* ad interpolatorem relegat.

Paulo aliter de I, 1 verbis est iudicandum, ubi haec leguntur: *τὴν οὖν τῶν σωμάτων σύνταξιν σκεψαμένους πρὸς τὸ μέγεθος τῆς πόλεως καὶ τὴν διάθεσιν τοῦ ἄστεος καὶ τῶν φυλάκων τὰς καταστάσεις καὶ περιοδείας . . . . τοὺς μερισμοὺς ποιητέον.* Voces *καὶ τὴν διάθεσιν τοῦ ἄστεος* Hugius pag. 32 sive *ἄστυ* ea vi adhibitum sit „arx“, sive idem significet atque *πόλις* delendas censet: neque enim nisi in interpolatis locis arcis mentionem fieri in comment. poliorc. neque, si idem *ἄστυ* atque *πόλις* significet, molestam distinctionem inter haec duo verba ferri posse. Sed mihi ipse Aeneas videtur scripsisse *πρὸς τὸ μέγεθος τῆς πόλεως καὶ τὴν διάθεσιν*[145]) (vernacula: „die lage, örtliche beschaffenheit“), cum eluceat non solam magnitudinem urbis esse respiciendam in

[145]) De verborum collocatione cf. pag. 42—43 (3, a). — Ceterum non lacunam cum Herchero statuendam, sed simpliciter scribendum puto: *τὴν οὖν τῶν σωμάτων σύνταξιν σκεψαμένῳ* (Med. *σκεψαμένους*) . . . *ποιητέον.*

tali deliberatione; ad quae verba lectorem aliquem ignarum, genetivum *τῆς πόλεως* ad sequentes quoque voces pertinere, adscripsisse puto *τοῦ ἄστεος*.

XX, 1 ne a portae custode imperator fallatur Aeneas praecipit: *χρὴ πρῶτον μὲν τὸν στρατηγὸν μὴ δεδειπνηκότα δι' αὑτοῦ τὴν κλεῖσιν ποιεῖσθαι μηδὲ ἄλλῳ πιστεύειν ῥᾳθύμως διακείμενον.* Voces *μὴ δεδειπνηκότα* Hugius pag. 32 ex XXVI, 2 ab interpolatore, qui eandem, quam circitoribus, cautionem etiam imperatori commendandam ridicule putaverit, comparatas esse iudicat. Sed omnino mihi a vero aberrasse videtur: an non maiore etiam cautione portae claudendae quam circuitiones faciendae sunt? Nonne ipsi etiam duces maiore, quam obsessos decet, levitate (*ῥᾳθυμίᾳ*) saepe usi sunt? cf. cap. XVIII narrationes: omnes enim fere custodum fraudes, de quibus ibi agitur, maiore a ducibus cautione adhibita irritae reddi poterant. Nihil igitur exstinguendum est XX, 1.

X, 16 tradita sunt verba: *ἐπὶ δὲ μονάρχῳ ἢ στρατηγῷ ἢ φυγάδι δυναστεύοντι χρὴ καὶ τάδε προκηρύττεσθαι.* — Hercherus collatis § 17 verbis *ἐάν τις τῶν συνόντων τῷ φυγάδι ἢ μονάρχῳ ἢ στρατηγῷ πράξῃ* vocem *δυναστεύοντι* e textu removet itaque scribit: *ἐπὶ δὲ μονάρχῳ ἢ στρατηγῷ φυγάδι χρὴ καὶ τάδε προκηρύττεσθαι.* Contra Hugius pag. 33 quod nec *μόναρχος* vocabulum apud bonae aetatis scriptores Graecos inveniatur, nisi ubi dominatio unius hominis populi imperio opponatur, neque ab Aenea alibi adhibitum sit, voce *δυναστεύοντι* retenta et § 16 et 17 verba *ἢ μονάρχῳ ἢ στρατηγῷ* eicienda censet. — Sed primum quidem cap. I, C, I, 5, a (pag. 31—34 in.) exposuimus satis liberum esse Aeneam in usurpandis vocabulis. Deinde, si minus usitatum erat verbum *μόναρχος*, veri multo est similius ad hoc explicandum adiectum esse *δυναστεύοντι* quam ad *δυναστεύοντι* interpretandum *μονάρχῳ* illud. Porro ubinam Aeneas voce *δυναστεύοντι* usus est? Atque curnam una cum verbo *μονάρχῳ* Hugius illud *στρατηγῷ* removet? Denique per se spectatae quid molesti praebent voces *ἢ μονάρχῳ ἢ στρατηγῷ*? Profecto quoniam eaedem paulo post

in § 17 repetitae exstant, Hercherum sequi, si recte volebat agere, Hugius debebat et *δυναστεύοντι* illo remoto alia retinere. — Praeterea sibi ipsi gravissime obloqui Hugium, quod hic Aeneam non *μονάρχῳ* sed *βασιλεῖ* vel *τυράννῳ* scripturum fuisse affirmat, alibi, ubi tyrranni mentio fit, interpolatoris licentiam sibi videtur tenere, apparet.[146])

XXII, 10 haec praebent codices, cum de *προφυλάκων* vice expositum esset: *καὶ οὕτω πολλοί τε καὶ ἅμα περιοδεύουσι καὶ μικρὸν ἕκαστος χωρίον κινηθήσεται καὶ οὐδ' ἅμα* (*οὐδ' ἀεί* Herch; melius *οὐ θαμά* Hertlinus) *οἱ αὐτοὶ παρὰ τοῖς αὐτοῖς διατελοῦσι, πυκνὰ ἄλλων φυλάκων* (recte *προφυλάκων* Cassaubonus) *παρ' ἄλλοις γιγνομένοις προςφύλαξιν* (merito Casaubonus *γιγνομένων φύλαξι*). *τούτου δὲ οὕτω πρασσομένου ὅταν* (*ἥκιστ' ἂν* Kirchhoffius; lenius *οὐκ' ἂν* Sauppius) *τι ἐκ τῶν φυλάκων νεωτερισθείη*. Quae omnia Hugius eicit pag. 34, quod, cum Aeneas pluribus locis XXIV, 19; XXVI, 2; 6; 13 (quibus adiciam ib. 8—9) accurate distinguat inter *προφύλακας* et *περιόδους*, illius § auctor eosdem esse procustodes atque circitores statuat. Longius autem iusto progressus est vir doctus, quod cum sola verba *πολλοί τε ἅμα περιοδεύουσι* suspecta ei videantur, nihilominus totam §, qua carere non possumus, ad interpolatorem relegat. Contra mihi idem homo, qui in iis, quae ad § 13 adiecta sunt, *διὰ τὴν φωνήν τε τῶν περιόδων καὶ τὸ βάλλειν, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς τὸν σιγώμενον τόπον* procustodes et circitores inter se confudit, ad § 10 adscripsisse videtur *πολλοὶ δὲ καὶ* (quae vobula non neglegenda est) *ἅμα περιοδεύουσι,* quae et propter sensum ab Aenea aliena sunt, et inepte membris inter se respondentibus *καὶ μικρὸν ἕκαστος χωρίον κινηθήσεται* et *καὶ οὐ θαμὰ — φύλαξι*

---

146) De X, 5 verbis *ἐὰν δὲ ὦσι φυγάδες, ἐπικηρύσσειν, ὃς ἂν ἀστῶν ἢ ξένων ἢ δούλων ἀποκινῇ, ἃ ἑκάστῳ τούτων ἔσται* nec cum Sauppio consentio, qui pro *ἀποκινῇ* illo *ἀποκτείνῃ* scribit, nec cum Hugio, qui accepta hac coniectura illa verba in § 16 initio ponit: nam retinenda ea esse ibi, ubi tradita sunt, sequentia *καὶ ἐάν τίς τινι τῶν φυγάδων συγγένηται,* quae illa *ἐὰν δὲ ὦσι φυγάδες* respiciunt, edocent. De poenis agitur § 5, non de praemiis, quod statim ex sequentibus vocabulis § 6 elucet: *εἶναί τινα κίνδυνον ἢ ἐπιτίμιον αὐτῷ*·

apposita impediunt, quominus intellegatur, quemadmodum haec inter se cohaereant. Reliqua omnia huius § verba, cum nullam omnino praebeant offensionem, retinenda puto: *καὶ οὕτω καὶ μικρὸν ἕκαστος χωρίον κινηθήσεται καὶ οὐ θαμὰ οἱ αὐτοὶ παρὰ τοῖς αὐτοῖς διατελοῦσι, πυκνὰ ἄλλων προφυλάκων παρ' ἄλλοις γιγνομένων φύλαξι. τούτου δὲ οὕτω πρασσομένου οὐκ ἄν τι ἐκ τῶν φυλάκων νεωτερισθείη.* Nam summopere profecto miraremur, si post § 9 non exponeret Aeneas, quibusnam de causis illam rationem procustodum stationibus suis deducendorum praescripsisset. — Ceterum de interpolatoris errore cf. pag. 172—173 (XXVI, 6).

XXXVI, 2 scalae moenibus admotae quomodo detrudantur, his verbis explicatur: *πεποιῆσθαι χρὴ οἷον θύραν ἐκ σανίδων, ἔπειτ' ἐπὰν προςφέρηται ἡ κλῖμαξ, προϋποτιθέναι τῇ κλίμακι τῇ προςφερομένῃ· ὅταν δὲ προςίῃ ἡ κλῖμαξ πρὸς τὴν θύραν, ἐξ ἀνάγκης ὑπαχθείσης τῆς θύρας ἡ κλῖμαξ πίπτει σφονδύλου προϋποτιθεμένου οὐδὲ προςτεθῆναι* (sic Turicenses: *προσταθῆναι* Med.) *δυνήσεται.* Hugius pag. 34 verba *σφονδύλου προϋποτιθεμένου οὐδὲ προςτεθῆναι δυνήσεται* ab interpolatore adiecta censet: nam *σφόνδυλον* hic eadem vice fungi qua apud Aeneam fungatur *ἡ θύρα*, voluisseque horum verborum auctorem Aeneae rationi etiam simpliciorem addere.

Sed etsi recte Hugius iudicaret de *σφονδύλου* usu, minime hoc possemus adduci, ut verba deleremus: contra tum scribendum esset: *σφονδύλου δὲ (τῇ κλίμακι) προϋποτεθειμένου* (vel *προϋποτιθεμένου*) *οὐδὲ προςτεθῆναι δυνήσεται.* Rectius tamen Turicenses secuti de u n o praecepto cogitabimus: hi enim verbis *σφονδύλου προϋποτιθεμένου* ante *ἡ κλῖμαξ πίπτει* transpositis ita locum vertunt: . . . „man muss eine tuer aus brettern machen, wenn dann die leiter angelegt wird, so muss man sie unter die leiter, waehrend sie angelegt wird, unterschieben. Wenn dann die leiter sich auf die tuer aufstemmt, indem die tuere mittelst einer darunter gelegten walze mit gewalt untergestossen wird, so faellt die leiter und kann nicht angesetzt werden.“ Paulo longius autem illis progressi, lenissima tamen ac necessaria

mutatione adhibita, scribemus: *ὅταν δὲ προςίῃ ἡ κλῖμαξ πρὸς τὴν θύραν, ἐξ ἀνάγκης ὑπαχθείσης τῆς θύρας σφονδύλῳ προϋποτεθειμένῳ, ἡ κλῖμαξ πίπτει οὐδὲ προςτεθῆναι δυνήσεται* („wenn die leiter sich auf die tuere aufstemmt, so wird die tuere mittelst einer vorher untergelegten walze mit gewalt untergestossen, worauf die leiter faellt und nicht mehr angesetzt werden kann.") Aptissima ita redditur sententia; *σφόνδυλος* igitur adhiberi iubetur ab Aenea, quo vehementius ianua in scalam irruat.

XXXVII, 5 legimus: *χρὴ δὲ γνωρίσαντα* (Herch. pro litteris corruptis *αγωσσειν*, quas Med. praebet; Meinekius l. l. pag. 187 *ἂν νοήσῃς*) *καθ' ὅντινα τόπον ὑπορύσσουσιν, ἀνθυπορύσσειν καὶ ἀντιοῦσθαι καὶ ἐμπιπράναι ἐν τῷ ὀρύγματι μαχόμενον.* Falso Hugius rerum conexum interpretatur, cum dicit pag. 34: „Postquam Aeneas exposuit esse hostium cuniculis obviam eundum cuniculis aliis atque demonstravit quae si hostibus in terra occurrerent essent agenda, postremo cavendum esse dicit ne cuniculum agant obsessi nisi explorata hostium cuniculi regione.". Nam §§ 1—4 praecipit Aeneas, ut fossam quam altissimam ante muros oppidani ducant, si senserint cuniculis hostes ad urbem appropinquare conari: quod praeceptum patet iis dari, qui qua in regione suffodiant hostes, non satis noverint. Ipso cuniculo autem oppidanos obviam ire hostium cuniculo tum demum, cum exploratum est ab obsessis, ubi hostium cuniculus esset, Aeneas iubet § 5.

Deinde iniuria mihi Hugius verba *καὶ ἀντιοῦσθαι καὶ ἐμπιπράναι ἐν τῷ ὀρύγματι μαχόμενον* videtur delere. Nam et nude positum verbum *ἀνθυπορύσσειν* graviter nos offenderet, cum quem ad finem hoc iuberetur, omnino non intellegeremus, et vocabulum *μαχόμενον* procul dubio corruptum est. Nam quomodo Hugius verba *ἐμπιπράναι ἐν τῷ ὀρύγματι μαχόμενον* interpretatur? Ideo potius, quod tradita vocabula intellegere non potest, mihi videtur emblema statuere (id quod saepius fecit), quam quod suspecta ei videntur: quae artis criticae exercendae ratio mihi nulla

ex parte probatur. Quare equidem solis vocibus *καὶ ἀντιοῦσθαι* deletis, cum veri sit simillimum verbum *ἀντιοῦσθαι* primitus in margine adscriptum fuisse ad explicandum rarissimum vocabulum *ἀνθυπορύσσειν*, reliqua sic scripserim Meinekii coniectura recepta: *χρὴ δὲ γνωρίσαντα, καθ' ὅντινα τόπον ὑπορύσσουσιν, ἀνθυπορύσσειν καὶ ἐμπιπράναι τὸ ἐν τῷ ὀρύγματι μηχανώμενον.*

Recte Hugium puto exposuisse de his locis: XXI, 1 (pag. 23—24), quae § mihi quidem ab eodem homine, qui in calce XVIII, 11 apposuit verba *προνοητικῶς δὴ δοκεῖ ποιηθῆναι πρός τε τὸν χαλκέα μηδὲν ὑποπτεῦσαι ὅ τε σίφων οὗ ἕνεκα ἐργασθεὶς εἴη — καὶ τὰ ἄρμενα γίνεσθαι*, profecta videtur propter ipsam vocem *ἄρμενα* singulari modo adhibitam. — XII, 4 (pag. 24—25), quod tamen exemplum secundum suam rationem Hugius primo prolegg. capiti inserere debebat. — XXII, 26 (pag. 25). — XXIV, 17 (pag. 26). — XXII, 1 (pag. 33). — Praeterea XXXV (annot. pag. 29).

3. De totis narrationibus ab interpolatore confictis ex Hugii iudicio.

Rarius eo progressam esse interpolatorum audaciam, ut totas narrationes fingeret, quamquam per se consentaneum sit, tamen hoc duobus locis[147]) factum esse XVIII, 13—19; XXIII, 7—11 Hugius se sibi persuasisse dicit. Contra equidem et de utroque exemplo Hugium aberrasse neque usquam ipsas narrationes ad Aeneae verba adscriptas esse credo, cum semel XXXI, 24 interpolator, ut ea, quae ipse ad Aeneae textum adscripserat, proprio exemplo recte se habere demonstraret, una cum his brevissimam narratiunculam in margine apposuerit.

Sed videamus iam de narrationibus ab Hugio deletis

[147]) Minus accurate „duobus“ locis eiusmodi interpolationes irrepsisse dicit, cum praeterea tribus aliis locis Hercherum secutus narrationes expungat XXXI, 9; 14; 24.

ac primum quidem de XVIII, 13—19, ubi quomodo Teos urbs Temeno Rhodio prodita sit, exponitur. Quod exemplum pro additamento putandum esse, quamquam loquendi genus ipsum sibi in suspicionem non venerit, Hugius pag. 35—37 his argumentis demonstrare studet:

1) Ineptissimam primum esse hanc de flocco adligato fabulam concessurum quicunque secum cogitaverit non potuisse fieri, quin funiculus, qui per quinque stadia ex longinquo traheretur, omnem suam lanam amitteret solo, arboribus, saxis impeditus atque implicatus, quare floccum a nemine sano posse signum constitui.

2) Ridicule deinde funem corpori suo adligasse dici ianuae custodem § 17 *ἵν' εἰ καθυπνώσας τύχοι, ἐγερθείη σπώμενος ὑπὸ τοῦ λίνου*, quasi cui munus etiam aliis noctibus esset vigilandi, tum imprimis esset periculum, ne somno opprimeretur, cum praemio proposito patriam esset proditurus.

3) Tum suspiciosum esse, quod, cum in exemplis eis, quae antecedant, aliis alio modo portae per dolum apertae esse dicantur, in hac narratione § 16 id plane item factum esse narretur atque in § 5.

4) Cum denique etiam in § 21 inveniantur, quae interpolatorem ostendant, totam cap. partem inde a §§ 13—21 delendam esse. Idem ostendere *φθάσαι* et *λαθεῖν* verborum coniunctionem, alibi etiam ab interpolatore usitatam, in § 19: *ὥςτε τὸν Τήμενον ἐκ πολλοῦ φθάσαι τε καὶ λαθεῖν ἀπαλλαγέντα*, in quibus quaesitum loquendi genus conspiciatur: neque enim esse, cur vehementer sibi timuisse dicatur Temenus, ne se recipiens ab oppidanis opprimeretur.

Priusquam vero ad ipsa Hugii argumenta examinanda transeamus, praemittendum videtur corruptissimum esse textum omnium harum §§, ante omnia § 13 initium, quod sic in cod. Med. exhibetur: *συμβάλλεται γενέσθαι τῇ μένω Ῥοδίῳ ἐν Ἰωνίᾳ Τέως πόλις εὐμεγέθης προειδότος ὑπὸ τοῦ πυλωροῦ*, quorum verborum loco Hugius legi vult *συμβόλῳ λέγεται γενέσθαι ὑπὸ Τημένῳ Ῥοδίῳ — προδιδόντος τοῦ πυ-*

λωροῦ; melius Casaubonus postrema verba scribit *προδοθεῖσα ὑπὸ τοῦ πυλωροῦ:* de priorum emendatione certa adhuc desperatur. Nec minus extrema huius narrationis verba corrupta sunt: *ᾐσθάνοντο οὖν ἐν τῇ νυκτὶ τὸ σπάρτον ὑπάρχον ἐν τῇ πόλει οὐχ οἷόν τε ἦν προϊέναι,* quae quomodo audaci Hugii invento *αἰσθομένῳ οὖν ἐν τῇ νυκτὶ ἐν τῷ σπάρτῳ ὑπάρχοντα τὸν μαλλὸν οἷόν τε ἦν προϊέναι* ulla ex parte meliora reddantur, non video. § 14 Hugius pro verbis traditis *ἐπεὶ δὲ εἰς τὴν ἐπιοῦσαν νύκτα πραχθῆναι* scribendum putat *ἔπειτα δέον εἰς τὴν ἐπιοῦσαν νύκτα πραχθῆναι:* sed cum *δέ* vocula non habeat, cur deleatur, equidem proponam *ἐπεὶ δὲ εἰς τὴν ἐπιοῦσαν νύκτα ἔμελλε*[148]) *πραχθῆναι,* collato loco XI, 8: *ἐπεὶ δὲ — εἰς τὴν ἐπιοῦσαν νύκτα ἔμελλε τὸ ἔργον ἔσεσθαι.* Praeterea § 19 procul dubio legendum est: *εἰ δ' ἀπετύγχανεν ὁ πυλωρὸς τοῦ θελήματος, οὐδὲν προςάψας ἀφῆκεν ἂν* (quod omissum est per haplographiam[149]) *τὸ λίνον,* qua enuntiatione condicionali exprimitur opposita haec esse iis, quae revera acciderint („si prospere res custodi non successisset, flocco non alligato filum emisisset").

Sed missis illis iam ad Hugii sententiam refutandam transeamus.

1) Ac primum quidem, cum ipsis, quae tradita sunt, verbis arbores, saxa vel alia eiusmodi impedimenta inter portam et eum locum, quo nuntius a Temeno missus se contulit filum evolvens, fuisse non narrentur, iniuria Hugius statuit propter talia non potuisse fieri, quin lana filo illigata omnis amitteretur. Quin etiam ex eo, quod quinque stadiis ab urbe distabat ille locus, quo Temenus cum suis volebat se conferre, concludi potest nulla arbusta, nihil ubi militum manus latere posset, fuisse inter urbem et eum locum, sed planum atque aequum campum: quodsi non ita se habuisset res, cur ii, qui nocte idonea ad consilium suum perficiendum electa in certum aliquem locum convenire volebant, ut proditoris signum

[148]) De lacunis Med. cod. cf. pag. 62.

[149]) Cf. pag. 61.

acciperent, non propiorem ab urbe locum delegissent, quo simplicior ratio significandi fieret? Ac per se satis iam elucet et Temeni militem ita evolvisse filum, ut omnia evitaret vel minima impedimenta, quibus haerere posset funiculus, et portae custodem lanam quam firmissimo nodo alligasse filo. Minime igitur insanam esse illam rationem aliquid cum hostibus communicandi patet. Praeterea num putat Hugius, si fieri illud omnino non posset, interpolatorem revera talem forte narrationem excogitasse, qua insani aliquid traderetur? Num omnino verisimile est excogitata fictaque scriptorem horum verborum narrare an audita vel facta? Quoniam vix quisquam negabit veri esse multo similius audita vel facta ab eo narrari, quid obstat, quominus eadem Aeneam habuisse cognita statuamus? Neque, quod ad totam hanc quaestionem pertinet, cuiquam vana inventa imputanda censeo, nisi conficta illa esse certis argumentis demonstrare possumus.

2) Quod ad alterum Hugii argumentum spectat, ideo funiculi finem custos portae corpori suo alligavit, ut statim sentiret, quando Temenus paratus ad opprimendam urbem esset: convenerat enim inter utrumque, ut Temenus, ubi in locum, quo miles ille filum evolvens se contulerat, cum suis pervenisset, alterum fili finem traheret: neque vero hoc melius sentire potuisse custodem aut celerius quam filo corpori alligato consentaneum est. Facile autem patet ad verba *τὴν ἀρχὴν τοῦ σπάρτου πρὸς αὐτὸν ἔδησε* lectorem aliquem ignarum,[150] quo consilio revera custos funiculum corpori suo alligavisset, perperam scilicet perceptis § 18 verbis *σπᾶν τὸ σπάρτον*, explicandi loci causa adscripsisse verba *τοῦδε ἕνεκα, ἵν' εἰ καθυπνώσας τύχοι, ἐγερθείη σπώμενος ὑπὸ τοῦ λίνου*, quae prorsus aliena esse a toto sententiarum conexu luce fere clarius est. Additamenta vero nihil valere posse ad ea, quibus adiecta sunt, ab aliquo scriptore abiudicanda per se apparet.

3) Nec tertium Hugii argumentum satis validum est.

[150]) Cf. pag. 178 sub fin.

Nam pessulus quidem eodem modo § 16 a proditore levatus esse narratur atque § 5: in eo vero cardo rei versatur, quod filo et lana usus portae custos hostibus urbem prodidit. § 16 voces *ῥίνῃ ἢ σμίλῃ* alienas esse a scriptore huius loci, ubi de uno certo facinore agitur, unusquisque videt, quoniam non potest optio dari lectoribus utrum *ῥίνῃ* an *σμίλῃ* pessulum insectum esse putare velint: translatae sunt procul dubio ex § 5, ubi optime se habent, ab interpolatore rato hic quoque eodem modo instrumenti, quo usus proditor pessulum insecuisset, mentionem esse faciendam.

4) Nec denique quidquam confert ad firmandam Hugii sententiam, quod § 21 quoque interpolatam esse contendit: nam primum quidem illa ad aliam narrationem pertinet, deinde iniuria, ut supra demonstravimus (cf. pag. 123—24), ab Hugio exstincta est. — Verba autem *φθάσαι καὶ λαθεῖν* altera ex parte praeter § 19 sat saepe ipse Aeneas adhibuit: XXII, 6; XXXVII, 6, ubi ab Hugio quoque illi tribuuntur, praeterea his locis, qui, etsi ab Hugio deleti, tamen genuini Aeneae mihi videntur: XVI, 11; XXIII, 11. Altera vero ex parte bene verba *ὥςτε τὸν Τήμενον ἐκ πολλοῦ φθάσαι τε καὶ λαθεῖν ἀπαλλαγέντα* se habent: plurimum enim Temeni intererat, ne conspiceretur ab oppidanis, ea de causa, quod si hi animadvertebant ei in animo esse, subito impetu urbem opprimere, timendum erat, ne maiore diligentia omnia, imprimis portas, custodirent itaque irritum redderent Temeni consilium. Nihil igitur quaesiti, si recte horum verborum sententiam perspexisset, Hugio fuisset statuendum.

Quae cum ita se habeant, minoribus illis additamentis, quae significavi, sublatis nullo modo dubitari posse credo, quin ipsi Aeneae attribuendae sint §§ 13—21.[151])

---

[151]) Confecto iam libello cum mihi innotuisset postrema Hugii dissertatio inscripta „Aeneas von Stymphalos" etc., ex huius pag. 8 annot. 1 intellego simile de hoc loco iudicium tulisse Mauritium Schmidtium in progr. Ienens. semestr. aestivi 1876: quibus vero argumentis hic vir doctus Hugium impugnaverit, non potui comperire, quoniam inspiciendi illius programmatis occasio mihi non contigit.

In multo graviorem errorem Hugium incidisse puto, quod attinet ad XXIII, 7—11, ubi magistratus alicuius urbis falso rumore de praedatorum incursione divulgato cives, ut contra eos statim proficiscerentur, commovisse narrantur. Quibus in tribus latebris dispositis ipsi cum consciis quasi speculandi et hostes in insidias adducendi causa eo profecti sunt, ubi mercennarios clam mari advectos convenirent. Quos cum aliis itineribus in urbem deduxissent, rerum potiti, quos volebant civium extra urbem collocatorum exceperunt, alios exsilio multaverunt.

Annotat Hugius pag. 37—38 ad eam narrationem haec: 1) „Quam narrationem, etiamsi Aeneas scripsisset, hoc in capite locum omnino non habere spero fore ut omnes mihi concedant: agitur enim in cap. XXIII de eruptionibus noctu et clam faciendis in hostes, quorum castra posita sint iuxta moenia. Quae eruptiones vocantur *ἐπέξοδοι* § 1, cf. *ἐπεξελθεῖν* 3, 4, 5: in nostro vero exemplo *βοήθεια* narratur eaque simulata in hostes qui in agros incurrerint: § 8 *εἰς βοήθειαν* bis, § 10: *τοῖς ἐμβεβληκόσι πολεμίοις;* ita ut potius ad caput XV vel XVI aut ad caput XI haec pertineant, in quo *ῥηθήσονται ἑξῆς αἱ ἐπιβουλαὶ — ὅσαι κατὰ πόλιν ἐξ ἀρχόντων ἢ ἰδιωτῶν γεγόνασι:* nec poterat profecto mendacium de hostibus urbem obsidentibus divulgari, cum posset divulgari de incurrentibus. Hostes autem hic nulli omnino sunt nec obsidentes nec inrumpentes.

2) Quodsi deinde agnosco narrationem eleganter quodammodo procedere, ipsa in illa offendo elegantia et omnis periculi absentia, qua magistratus illi proditores dolum suum exequuntur, nec puto omnino fieri potuisse, ut et sine ducibus tam diu securae in latebris suis expectarent tres illae civium manus, quid esset futurum, et postea dolo comperto cives illi qui armati essent (*σὺν ὅπλοις*) tam patienter se urbe expelli sinerent.

3) Quibus tertio loco accedit, quod facili negotio in hoc *βοηθείας* auctore eundem deprehendimus qui cap. XVI locum de *βοηθείαις* eloquentia sua exornavit; eadem enim

adparet dividendi subtilitas cum quadripertito cives incedentes faciat cf. XVI, 7. eadem insidiarum cura cf. § 10: *ἵνα δῆθεν προςαγάγοιεν τοὺς πολεμίους εἰς τὰς ἐνέδρας ὡς ὑποφεύγοντες* cf. XVI, 10: *διώκοντας μὴ ἐπικαταλαμβάνειν*, idem studium ex mari auxilii quaerendi cf. § 11 cum XVI, 13, nec mirabimur denique § 11 rursus inveniri *ἔφθασαν καὶ ἔλαθον*, quamquam hoc loco haud inepte positum.

Eo igitur adducimur ut eidem rhetori qui cap. IX et capitis XVI maiorem partem scripsit, tribuamus etiam haec duo exempla longiora et verborum ornatu haud improbanda, quae inveniuntur XVIII, 13—19, XXIII, 7—11."

Quae omnia profecto ita sunt comparata, ut minime superflua videantur, quae in eadem pag. 38 Hugius dicit: „Iam ne quis putet me sic emendare velle Aeneam, ut omnia vel fere omnia sub marginem relegem — emendationes aliquas proponam." Sed inspiciamus iam singula.

1) Ac primum quidem verbis XXIII, 6 *οὐ μὴν οὐδ' ἐν ταῖς νυξὶν ἀσκέπτως μετ' ὄχλου ἐκπορευτέον* Aeneam non solas *ἐπεξόδους* in *προςκαθημένους πολεμίους* respicere, sed omnes nocturnas expeditiones, quemcumque ad finem suscipiantur, et quod simpliciter *ἐκπορεύεσθαι*, non *ἐπεξελθεῖν* verbum amplexus est, edocet et demonstrant ea, quae statim sequuntur: *οἷα καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς τῶν ἐπιβουλευόντων τινὲς τεχνάζουσιν, οἱ μὲν ἔσω τῆς πόλεως, οἱ δὲ καὶ ἔξωθεν — πυρσεύσαντές τι ἢ ἐμπρήσαντες νεώριον ἢ γυμνάσιον ἢ ἱερὸν πάνδημον ἢ δι' ὅπερ ἂν ἔξοδος γένοιτο πλήθους ἀνθρώπων οὐ τῶν τυχόντων*, quibus omnibus dolis, ut ipsa nocte iusto celerius auxilio veniant oppidani, efficere student *οἱ ἐπιβουλεύοντες*. Quae omnia non tam ad id tempus spectant, ubi castra hostium iuxta moenia posita sunt, quam ad subitas hostium irruptiones simulatas ab iis, qui novis rebus student: neque enim „poterit mendacium de hostibus urbem obsidentibus divulgari, cum possit divulgari de incurrentibus." Optime igitur post haec proferri illam narrationem apparet, qua, ut irrupisse praedatores civibus

nuntiarentur, eo consilio magistratus effecisse edocemur, ut cives statim nocte ad auxilium ferendum urbe egrederentur: nam nocte haec omnia gesta esse cum ex toto rerum conexu tum inde elucet, quod per speciem civium redeuntium magistratus mercennarios suos in urbem inducere potuerunt. Perperam igitur Hugius, quomodo singula cohaereant, intellegit, cum neglecta § 6 eas, quae insequuntur, ut alienas a loco expungendas arbitretur. Quamquam minime negaverim paragraphis 7—11 cum cap. XV et XVI commune esse, quod utrobique de βοηθείαις agitur: sed ibi Aeneas praecipit, quomodo iis, quae ab hostibus urgeantur, regionibus auxilium optime feratur, cap. XXIII, 7—11 narrat per speciem nocturnae expeditionis ad adiuvandos terrae incolas susceptae urbem a coniuratis oppressam esse. In cap. XI autem haec Aeneae fuisse proferenda ideo est negandum, quod nostro loco non tam refert a quibus hominibus, sed quomodo et qua data occasione urbs prodita sit: praeterea in maiore parte exemplorum cap. XI non de ipsorum magistratum proditionibus, sed universe de eorum, qui novis rebus studuerint, fraudibus agitur. Num igitur alias quoque omnes narrationes, ubi civium insidiis cives oppressos esse Aeneas exponit, Hugius ei in cap. XI proferendas putat? Cf. e. gr. XVII, 2—4; XVIII; XXIX al. Fallitur denique Hugius, quod in cap. XXIII, 7—11 de hostibus verba non fieri nec obsidentibus nec irrumpentibus contendit: nam procul dubio voces κλωπῶν ἐπιβουλήν § 7 ita intellegendae sunt, ut magistratus finitimorum rapacium irruptionem ad diripiendos agros factam esse nuntiarint: cf. § 10 τοῖς ἐμβεβληκόσι πολεμίοις. — Quod ergo primarium ac gravissimum argumentum ad stabiliendam sententiam affert, prorsus vanum est atque inane.

2) Deinde quo iure in elegantia narrationis offendat idem Hugius, qui pag. 15 (ubi de II, 7—8 agit) et alibi ea, quae minus eleganter conscripta putat, interpolatori tribuit, omnino me fugit. Nihili vero est, quod sine duce tam diu securas in latebris suis tres illas civium manus exspectaturas

non fuisse arbitratur, quid futurum esset: nam primum non plus temporis coniuratis opus fuit profecto ad mercennarios in urbem quam celerrime deducendos, quam fuisset et ad lacessendos hostes et ad adducendos in insidias; deinde num omnino veri est simile praeter magistratus, qui cum consciis suis ipsis hostibus obviam se ituros dixerant, alios duces singulis civium partibus non fuisse? Contra certe hic quoque ut XVII, 3; 6 voce ἄρχοντες summi tantum magistratus significantur (cf. pag. 129). Nec mirandum est postea armatos cives a coniuratis urbe potitis se expelli passos esse: nam per se elucet et satis multos mercennarios adductos esse a magistratibus, et cives illos expulsos, cum ad oppugnandam urbem omnia iis deessent praeter ipsa, quae secum tulerant, arma, bello urbem statim recuperare non potuisse, et cum aliquam tantum partem illorum, quominus redirent, magistratus prohiberent, alios coactos victorum clementiam quam belli fortunam experiri maluisse. Accedit quod prorsus idem XVII, 4 a coniuratis adversus cives armatos (cf. XVII, 2) factum esse narratur.

3) Quod ad reliqua pertinet nemo, opinor, praeter Hugium maiorem iusto subtilitatem in numeris dividendis ideo statuet nostro loco inveniri, quod quadripertito agmine cives ex urbe egressi esse dicuntur, neque ampliorem insidiarum curam, quod per speciem insidiarum ponendarum tres civium manus diversis locis collocatae esse narrantur. An Hugius numeros omnino scriptoribus evitandos censet? Num nusquam de insidiis positis, nusquam de auxiliis navibus advectis verba facere, nusquam φθάσαι καὶ λαθεῖν verba amplecti debent, ne ibi quidem, ubi „haud inepte posita“ sunt?

Immo missis his vanis argumentis retineamus ea, quae „verborum ornatu haud improbanda“ et in rerum conexum optime quadrant neque ullo modo eos, qui non praeoccupato iudicio ad Aeneam tractandum accedunt, offendunt.

Iam absoluta quaestione de iis locis, quos Hugius in prolegg. critt. contendit delendos esse, restat ut contemplemur

II. Quae praeterea in ipsa editione interpolatori tribuerit Hugius.[152])

Ut supra, ita hic quoque prius de iis locis agamus, de quibus falso statuisse videtur:

In X, 19 verbis: *εἴ τις* (non est, cur *ἐάν τις* scribatur) *βούλεται ἀπιέναι μὴ ἀρεσκόμενος τοῖς παροῦσιν, ἐξεῖναι ἀπαλλάττεσθαι, ἀλλ' ὕστερον πεπωλήσεται· ἐὰν δέ τις φαίνηται βλάπτων τι τὸ στράτευμα ἢ διαλύων τὸ στρατόπεδον, θάνατος ἔστω ἡ ζημία κ. τ. λ.*, Hugius illa *ἀλλ' ὕστερον πεπωλήσεται* interpolata esse putat. Sed equidem diu iterum atque iterum deliberata re facere non possum, quin defendam tradita vocabula. Agitur enim de mercennario exercitu, cuius imperator hoc edicere iubetur ab Aenea: si quis velit abire, quod praesentem rerum statum non probet, licere ei abscedere: sin vero quis p o s t e a (i. e. o r t o b e l l o, nam omnia praecepta, quae cap. I—XIV continentur, spectant ad urbem, cui immineat bellum et quae defensionem paret) deprehendatur non contentus rerum statu, fore ut venumdetur. Nam timendum est, ne qui non contenti sint rebus praesentibus, i i i p s i f a c i l e e o p r o g r e d i a n t u r, u t c o n s p i r e n t a d v e r s u s r e m p u b l i c a m a l i o s q u e e t i a m m i l i t e s a d s e d i t i o n e m i m p e l l a n t: qua de causa altera ex parte iubetur imperator iis permittere, ut abeant, altera ex parte p o e n a s m i n a r i e u m a d f i n e m, n e r e m a n e a n t tamen tales homines, quippe qui in summum periculum adducere possint civitatem, aut s i r e m a n e a n t, n e a u d e a n t i n p o s t e r u m p a l a m p r o f i t e r i, s e s e n o n e s s e c o n t e n t o s rerum statu, sermonibusque et lamentationibus suis alios quoque in suam sententiam perducere. Gravius etiam in eos Aeneas animadverti iubet, qui aut ipsam proditionem moliantur aut milites ad seditionem excitare conentur: nam hos supplicio afficiendos censet. Nonne haec bene inter se cohaerent? — Nullo

[152]) De iis, quae Hercheri vel Sauppii s u s p i c i o n e s secutus Hugius e textu removit, actum est pag. 90—93; 94 med. —99.

deinde modo ab Aeneae dicendi genere abhorrere, quod X, 19 ab oratione obliqua, quae pendet a verbo *κηρῦξαι*, vocibus *ἀλλ' ὕστερον πεπωλήσεται* in rectam transitur, perspicies ex iis, quae exposui cap. I, C, II, 1 pag. 41.

XV, 4 verba *καὶ μὴ δρόμῳ πόῤῥωθεν παραγίγνωνται* nec a loci sententia aliena sunt neque ab Aeneae sermone: cf. cap. I, C, I, 1, b pag. 25.

XVIII, 9 voces *τὰς ἀρχάς* in *ταῖς ἀρχαῖς* emendandas esse docui in pag. 81.

XXI, 2 tradita sunt haec: *περὶ δὲ φυλάκων καταστάσεως καὶ περιοδειῶν καὶ πανείων καὶ συνθημάτων καὶ παρασυνθημάτων τὰ μὲν πολλὰ ἐν τῇ Στρατοπεδευτικῇ βίβλῳ γραπτέον, ὃν τρόπον δεῖ γενέσθαι κ. τ. λ.* Quoniam elucet verba *ὃν τρόπον δεῖ γενέσθαι* ad *πανείων* illud non posse referri, Hercherus ea expunxit: Hugius contra *πανείων* vocem eadem de causa delet, retentis illis *ὃν τρόπον δεῖ γενέσθαι*. Sed cautius Hercherus locum constituisse videtur, quoniam nemo hucusque potuit demonstrare in *τῇ Στρατοπεδευτικῇ βίβλῳ* non agi de *πανείοις*.

XXVI, 6 Aeneas praecipit: *ἔχειν δὲ καὶ τοὺς* (deest in Med.) *περιοδεύοντας λίθους ἐν ταῖς σκοτειναῖς νυξὶν καὶ βάλλειν ἄλλην καὶ ἄλλην εἰς τὸ ἔξω μέρος τοῦ τείχους. οἱ δὲ οὐκ ἐπαινοῦσι τοῦτο διὰ τὰ προγεγραμμένα:* quam § Hugius ut ab interpolatore ex XXII, 12 confictam eicit. Sed etsi saepius Aeneae praecepta ab interpolatore repetita sunt, tamen hoc non tantum valet, ut illam § expungere debeamus. Neque enim video, cur non potuerit scriptor circitoribus idem illud, quod custodibus imperare: possint enim forte hoc modo ipsorum custodum fraudes irritae reddi a circitoribus. Si enim corrupti ab hostibus custodes passi sint illos ad murum appropinquare, ut clam escensis muris urbe potiri possent, circitores lapidibus coniectis efficere possint, ut hostes aut a consilio suo desistant, rati fraudem detectam paratosque ad defendendum esse oppidanos, aut aliquis illorum forte lapidis ictu vulneratus clamore prodat, quid suis in animo sit. Sed accedit gravissimum aliud argumentum. Nam supra, ubi

de XXII, 10 agebatur (pag. 159—160), vidimus eum interpolatorem, qui et ibi verba *πολλοὶ δὲ καὶ ἅμα περιοδεύουσι* et post § 13 illa *διὰ τὴν φωνήν τε τῶν περιόδων καὶ τὸ βάλλειν κ. τ. λ.* adscripsit, inter se confudisse *προφύλακας* et *περιόδους*, quos accurate distinguit Aeneas: profecto autem vix ille in eum errorem incidisset, nisi certa causa commotus esset, ut Aeneam putaret utrosque pro iisdem habere. Atque equidem mihi persuasi inde fluxisse eius errorem, quod videret idem, quod XXII, 12 *προφυλάσσοντες* facere iubebantur, XXVI, 6 *περιοδεύουσι* ab Aenea praecipi. Ipsi igitur Aeneae attribuenda est § 6 cap. XXVI.

XXVIII, 6 inveniuntur haec: *Ἰφιάδης δὲ ὁ Ἀβυδηνὸς ... ἁμάξας πληρώσας φρυγάνων καὶ βάτων παρέπεμψε πρὸς τὸ τεῖχος, ἤδη τῶν πυλῶν κεκλεισμένων*[153]), *ὡς τῶν Παριανῶν οὔσας· ἔτι ἐγγὺς ἐλθοῦσαι πρὸς τὰς πύλας ηὐλίζοντο ὡς φοβούμεναι πολεμίους.* Vocem *ἔτι* mendosam esse cum appareat, Casaubonus *αὗται*, Turicenses *αἳ ἔτι*, Meinekius *εἶτα* scribenda proposuerunt, quorum optimum sine dubio Casauboni illud *αὗται* est. Sed facilius equidem, mero aurium lapsu[154]) mendum ortum esse ratus, scribendum proponam *αἱ δὲ ἐγγὺς ἐλθοῦσαι κ. τ. λ.* — Postquam Herchero verba *ὡς φοβούμεναι* corrupta sunt visa, quod absurde timor hostium ad ipsa plaustra referretur, Hugius totam hanc enuntiationem *ἔτι ἐγγὺς ἐλθοῦσαι πρὸς τὰς πύλας ηὐλίζοντο ὡς φοβούμεναι πολεμίους* delet. Neque vero propter § 7 verba *ἃς ἔδει ἐν καιρῷ τινι ὑφαφθῆναι, ἵνα αἱ πύλαι ἐμπρησθῶσι*, illa omitti potest, quippe qua ipsa narretur plaustra proxime ad portas advecta esse. Nec deinde prosopopoeia illa, quae invenitur in verbis, de quibus agitur, Aeneae videtur non posse tribui; nam Thucydides, cuius stilum demonstravimus Aeneam esse imitatum, similia saepius praebet: cf. cap. I, C, I, 7 pag. 36.

XXXI, 22 voces *γράμμα δὲ λέγω τὸ τρύπημα* quomodo

---

153) Cf. de hac scriptura verbi pag. 48.

154) Cf. pag. 63 64.

absonae sint a rerum conexu, non perspicio: immo necessariae videntur ad melius intellegenda ea, quae proxime in eadem § antecedunt: *ὅταν δὲ δὶς τὸ αὐτὸ γράμμα συμβῇ γράφεσθαι, ἐκ τῶν ἐν μέσῳ τρυπημάτων προενείραντα εἰς τὸ αὐτὸ γράμμα ἐνεῖραι.* Nam alibi nusquam in his rationibus describendis Aeneas *γράμμα* vocem ita adhibuit.[155])

ib. 30—31 legimus: *γράφειν δὲ καὶ ὧδε. προσυνθέμενον τὰ φωνήεντα γράμματα ἐν κεντήμασι τίθεσθαι· ὁπόστον δ' ἂν τύχῃ ἕκαστον ὂν ἐν τοῖς γραφομένοις, τοσαύτας στιγμὰς εἶναι. οἷον τόδε*

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΚΑΛΟΣ

Δ∴ ∴· Ν∴∴ Σ∴ ∴· Σ Κ. Λ∴· Σ

ΗΡΑΚΛΕΙΔΑΣ ΗΚΕΤΩ

∴. Ρ. ΚΛ.. ∴ Δ. Σ[156]) *∴. Κ.. Τ∴∴.*

καὶ τόδε ἄλλο ἀντὶ τῶν φωνηέντων γραμμάτων τίθεσθαι τί δαί. — Verba *ἀντὶ τῶν φωνηέντων γραμμάτων τίθεσθαι τί δαί* iniuria Hugius vocibus *καὶ τόδε ἄλλο* inter exempla illa duo transpositis exstinguit. Contra sic mihi locus legendus videtur: . . . *οἷον τόδε*

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΚΑΛΟΣ

Δ∴ ∴· Ν∴∴ Σ∴ ∴· Σ Κ. Λ∴· Σ

καὶ τόδε

ΗΡΑΚΛΕΙΔΑΣ ΗΚΕΤΩ

∴. Ρ. ΚΛ.. ∴ Δ. Σ ∴. Κ.. Τ∴∴.

ἢ ἄλλο ἀντὶ τῶν φωνηέντων γραμμάτων τίθεσθαι (*τί δαί* ut dittographia natum deleo). Cogitandum est nimirum de rationibus similibus ei, ex qua e. gr. vocalis loco ea, quae in litterarum ordine proxima est, consonans ponitur, ut *β* pro *α*, qualia medio aevo etiam usu veniebant.

In cap. XXXII § 1 extr. leguntur verba: *ἅμα δὲ καὶ ὑποθυμιᾶν καπνὸν πολὺν ὑφάπτειν ὡς μέγιστον πῦρ ποιοῦντα.* (*πνέοντα* Med.): Hugius vocibus *ὑποθυμιᾶν καπνὸν πολύν* deletis obscuriorem reddit locum, quam traditus est. Quam-

[155]) Consentit mecum de his verbis Hertlinus in Ienens. annal. litter. 1874 pag. 797 extr.

[156]) Unum punctum in postrema syllaba ponendum esse docui pag. 66.

nam enim sententiam exprimi vult verbis *ὑφάπτειν ὡς μέγιστον πῦρ ποιοῦντα*? Multo melius, si omnino iudicare licet de tam corrupto loco quam § 1, unum verbum *ὑφάπτειν* ut in margine adscriptum ad *ὑποθυμιᾶν* illud, quod multo rarius apud scriptores Graecos invenitur, removebimus, ita ut legatur: *ἅμα δὲ καὶ ὑποθυμιᾶν καπνὸν πολὺν ὡς μέγιστον πῦρ ποιοῦντα*: sic simul intellegitur, quem ad finem ignis quam maximus incendi iubeatur, scilicet ut fumus maximus efficiatur.

XXXVIII, 1 tradita sunt haec: *χρὴ δὲ ταῖς προςαχθείσαις χελώναις ἐπιχεῖν πίσσαν καὶ στυππεῖον καὶ θεῖον ἐπιβάλλειν, ἔπειτα φλογώσαντα φάκελλον καὶ ἐξάψαντα ἐπαφιέναι σχοίνῳ ἐπὶ τὴν χελώνην.* Hugius vocabula *φλογώσαντα, καὶ, σχοίνῳ* interpolatori tribui vult, ut profitetur in annot. ad hunc locum. Sed erraverunt fortasse interpretes *ἐξάψαντα* verbo eadem vi tributa atque *φλογώσαντα*, ac nescio an sit scribendum *φλογώσαντα φάκελλον καὶ ἐξάψαντα σχοίνου ἐπαφιέναι ἐπὶ τὴν χελώνην*, ita ut *ἐξάπτειν* significet „alligare“ vel „illigare“: illigatum autem facem demitti a muro iubet Aeneas, non praecipitari, ne de testudinis tecto obliquo statim delabatur, priusquam ea, quae antea in testudinem iniecta erant, incensa sint. De genetivo *σχοίνου* cf. locum simillimum XI, 6 *τοῦ τείχους ἐκδήσας*.

Fortasse tamen codicis lectio ita defendenda est, ut simplicem notionem incendendi ab Aenea duobus verbis synonymis expressam esse statuamus *φλογώσαντα — καὶ ἐξάψαντα*. Talem ubertatem non alienam esse ab eius sermone exposui cap. I, C, I, 1, a, pag. 24—25. Simillima huius, de quo agimus, exempla ex Aeliano et Thucydide hausta Hercherus in annot. ad hunc locum affert. Neque vero est, cur Hercherus adeo in *σχοίνῳ* offendat, ut scribat *φάκελλον σχοίνων φλογώσαντα καὶ ἐξάψαντα*: nam tam celeriter demitti posse fasciculum, ut antequam testudinem tangeret, vix funis, qui certe ei fasciculi parti annexus est, ad quam postremo flamma penetrare potest, igni correptus esse possit, unusquisque concedet.

Hugii sententia non habet, quo commendetur, minus etiam id, quod in praef. edit. pag. VII dicit: „In XXXIII, 1 non abest suspicio quin haec sola ab Aenea profecta sint: *χρὴ δὲ ταῖς προςαχθείσαις χελώναις ἐπιχεῖν πίσσαν καὶ στυππεῖον καὶ θεῖον ἐπιβάλλειν, ἔπειτα πιμπράναι ταῦτα ὧδε*, ceteris quotquot verba in medio sunt eiectis“: argumentis hoc iudicium firmare nequit.

Ante verba eiusdem §: *τὰ δὲ τοιαῦτα προτεινόμενος ἀπὸ τοῦ τείχους ἐπιβάλλεται τοῖς προςαγομένοις μηχανήμασιν* ab Hugio quidem expuncta procul dubio excidit novum praeceptum, quod respicitur illis verbis, et quo alia ad ignem comparandum de muro deici in alias quoque praeter testudines machinas iussisse videtur Aeneas. Pro *προτεινόμενος* voce recte Turicenses scripserunt *προτεινόμενα*. Cur Hugius exstinxerit illa, me quidem fugit: quae in textu retenta ita nescio an cum insequentibus conectenda sint, ut altera graviore lacuna non statuta pergatur *ἐμπιπράνει δὲ χρὴ ταῦτα καὶ ὧδε*.

XXXVIII, 1 cum Aeneas de copiis oppugnatorum in tres partes dividendis verba fecisset, § 2 sic pergit: *δεῖ δέ τινας καὶ ἄλλους ἐπιλελεγμένους πλήθει πλείονι μετὰ τοῦ στρατηγοῦ συμπεριιέναι κ. τ. λ.* Verba *πλήθει πλείονι* recte Hercherus ita emendavit, ut scriberet *πλήθει πλείους* (vernacula: „in groesserer, d. i. ziemlich grosser anzal“). Eadem vi vox *πλείων* adhibita est ab Aenea VII, 2 *ἐπὶ πλέον*. IV, 6; XXVI, 1; 9 *ἐκ πλείονος* (sc. *χωρίου*). XXXI, 3 *ἐν πλείοσιν*. Hugius ideo videtur verba *πλήθει πλείους* (*πλείονι*) delere, quod comparativum inepte ad antecedentia referendum arbitratur. Sed nulla omnino exstinguendi causa est, cum optime se habeant illa.

Recte Hugius pro additamentis habet: XXIII, 6 *προςάγεσθαι βουλόμενοι τοιοῖςδε ἀπατήμασι*. XXXI, 15 *καὶ τὸν ἵππον λευκόν*. 27 *διὰ πνεῦμα καὶ φαυλὴν πτέρωσιν*. XXXIX, 6 *ἡμέρας μὲν — νυκτὸς δὲ ἀκρύπτους*. XL, 5 *ποιοῦντες δὲ ταῦτα αὐτομόλους ἐφύλασσον μὴ διαγγελθῇ*. — (De XXXV *ὅπερ οὐ πάντῃ κατασβέννυται* cf. pag. 162 med.)

Iam in fine huius partis liceat monere ne ipsum quidem Hugium satis sibi constitisse: quae enim est eius ratio additamentorum statuendorum, multa etiam alia expungere debebat, per se quidem suspicione libera, si accurate rerum conexus unoquoque loco perpenditur, velut e. gr.: VI, 7 *καθάπερ οἱ πυρσευταὶ τοὺς πυρσούς* „ut supervacanea." X, 19 *ἢ διαλύων τὸ στρατόπεδον* „nam his idem exprimi, quod ipse Aeneas dixisset verbis *βλάπτων τι τὸ στράτευμα.*" XX, 1 *ἐν δὲ τοῖς ἐπικινδύνοις καὶ πάμπαν σύννουν δεῖ περὶ ταύτην εἶναι* „quod per se intellegeretur". XXII, 13 „ut rhetoricas ambages profectas ab homine, qui suam sententiolam Aeneae voluisset opponere". XXIV, 3 *ἐν μιγάσιν οὖν ξένοις οὐ δεῖ τὰ τοιαῦτα παραγγέλλειν οὐδὲ ἐν ἔθνεσι συμμάχοις* „nam his nihil novi doceri". XXVII, 4 *οὕτω δ᾽ ἔσται γνωστὸν ὅτι ἐστί τι πολέμιον* „ut superfluum inepti hominis additamentum". XXIX, 4—10 „ut mira propter § 7 *ὁ δὲ τῆς ἐπιβουλῆς ἡγεμὼν εἰςηνέχθη ἐν φρυγάνων φορήματι,* quod fieri vix posset. In iisdem deinde deprehendi antitheseon mere rhetoricarum studium et ridiculam subtilitatem distinguendi § 4—6. Denique offendere omnis periculi absentiam, qua proditores dolum suum exsequerentur (cf. proll. critt. pag. 37)." XXXVIII, 2 *τὸ γὰρ ἐπιὸν μᾶλλον οἱ πολέμιοι φοβοῦνται τοῦ ὑπάρχοντος καὶ παρόντος ἤδη* „ut rhetoricas ambages" etc. etc.

Possum alia multa eiusmodi afferre, sed missis illis ad tertiam huius capitis partem transeamus, ubi quaerendum est

C. Quae additamentorum genera sint constituenda apud Aeneam.

Omnia, quae pro interpolatis habenda sunt in comment. poliorc., amplificandi vel illustrandi causa adiecta sunt ab interpolatoribus. Tria autem genera additamentorum sunt distinguenda, quorum primum proprie ad res militares spectat, altero ea comprehenduntur, quae praeterea illustrandi

vel amplificandi causa in margine apposita fuere, tertium mere grammatica additamenta complectitur.

I. De iis additamentis, quae proprie ad res militares pertinent.

Tota natura omnium, quae huc referendae sunt, interpolationum luculentissime edocemur eas profectas esse non ab hominibus militaribus, sed a philosophis aliisque hominibus umbratilibus, qui studio librorum tacticorum res militares discere studebant, neque vero didicerant ipso armorum usu vel belli consuetudine: nam omnes illae a viris rerum militarium revera peritis summopere alienae sunt. Constat autem apud veteres, imprimis Graecos, multifariam artem militarem a philosophis tractatam esse et in scholis et libris tacticis conscriptis in usum eorum, qui hoc modo quam armorum exercitatione, quomodo bella gerenda essent, cognoscere mallent. Testes horum studiorum habemus ante omnes Philonem mechanicum, Asclepiodotum philosophum, Onosandrum, Aelianum, Iulium Africanum, Anonymum Byzantinum, Psellum, praeterea Anonymum, quem Thevenotius edidit[157]), qui homines docti tacticos libros nobis reliquerunt, quorum alii magis alii minus aut utiles aut inepti sunt: aliorum opera similiter hinc illinc corrasa deperierunt[158]). Eiusmodi igitur homines umbratiles, cum accessissent ad Aeneam tractandum, in margine annotaverunt, quae ipsis primaria praecepta viderentur vel quae praeter alia praeclare gesta putarent. Quamquam vero illi interpolatores nonnumquam Aeneae sententiam perperam intellexerunt (cf. XVIII, 17; XXII, 10; 13; 26; XXVII, 4), tamen stultitiae tantae atque stoliditatis accusari non debent, quantam imprimis Hugius iis imputare vult, omnia ab iis, vel

---

[157]) Cf. cap. I, E, pag. 57.

[158]) Uberius de hoc tacticorum genere egerunt Turicenses in prooemio prioris partis vol. II libri, qui inscribitur „Griechische kriegsschriftsteller" pag. 1—101: cf. praecipue pag. 15—16; 29—30; 78—79; 84—88.

ineptissima, commissa esse ratus [cf. pag. 7 proll. critt. (XL, 7); 14 (IX cap.); 22 extrem. (XXXVIII, 3); 26—27 (XXIII, 2) alibi]: nam facile profecto hominibus illis studiosis quidem rerum bellicarum, sed satis imperitis accidere poterat, ut in tales, quales revera iis tribuendi sunt, errores inciderent. Eum autem ad finem notas suas marginales mihi videntur adiecisse, ut aut ipsi in legendo statim facilius omnia perspicerent neve quidquam, quod maioris momenti esset, praetervidérent, aut in scholis notis illis usi melius Aeneae librum interpretari possent.[159])

Ab illis hominibus duae potissimum interpolationum classes[160]) profectae sunt:

1) Primum enim adiecerunt militaria praecepta vel repetita ex genuinis Aeneae praeceptis vel derivata ex iis vel narrationibus, quibus saepissime Aeneas utitur: his igitur additamentis nihil commendatur, quin alibi ipse Aeneas pronuntiaverit. Quorum in numerum referenda sunt verba:[161])

I, 8 *τὸ δὲ περιὸν πλῆθος μερίσαντα πρὸς τὸ μῆκος τῶν νυκτῶν καὶ τῶν φυλάκων τὸ πλῆθος κατανεῖμαι* adscripta ad *τῶν δὲ λοιπῶν τοὺς ῥωμαλεωτάτους — ἐκλέξαντα ἐπὶ τὰς φυλακὰς καθιστάναι* . . : hausta sunt ex parte quidem ex his verbis, ex altera e cap. XXII. — II, 8 *ὡς δὲ αὕτως καὶ κατὰ τῶν ἄλλων πάντων θελημάτων χρὴ τὰ ἐνόντα ὑπεναντία τοῖς προγεγραμμένοις ὑπονοεῖν, ἵνα μὴ ἀπερισκέπτως τι ἕτερον αἱρῆσαι* (*αἱρήσῃ* Meierus): de sententia cf. pag. 104. III, 6 *τῶν τε ἀρχόντων δεῖ προκεκληρῶσθαι εἰς ὃν ἕκαστοι τόπον ἐλθόντες τῶν συλλεγέντων ἐπὶ τὰ τείχη ἀποστελοῦσι καὶ τῶν λοιπῶν ἕνεκα ἐπιμελείας ἡγεμόνες ἔσονται ἄνπερ εὐθὺς ἡγεμονεύσωσιν ὧδε*, quae partim ex § 1 (*κλήρῳ ἀποδείξειεν*),

---

[159]) De hoc altero cf. Sauppium l. l. pag. 732.

[160]) Cf. simul pag. 183.

[161]) Ubi totae §§ interpolatoris sunt, non ipsa verba exscripsi, sed capitis et § numeros attuli.

partim ex 4—5 (*ῥυμάρχαι*) comparata sunt, primitus ad § 4—5 in margine apposita videntur fuisse. IV, 11 *δῆλον οὖν ὅτι μετὰ συσσήμων καὶ μὴ ἀγνοουμένων πρὸς ἀλλήλους τὰς ἀθροίσεις καὶ τὰς πέμψεις δεῖ ποιεῖσθαι.* hausta ex § 5. X, 26 *διὸ δεῖ πάντα τὰ τοιαῦτα ὑποπτεύειν,* derivata ex § 25. XI, 5 *ὥςτε ἀεὶ δεῖ προςέχειν τοῖς τὰ τοιαῦτα τελειοῦν σπουδάζουσιν.* quae § 1 imitantur. XII, 4 ex § 2 fluxit. XV, 4 verba post *ἐπιπέμπειν* inserta *καὶ ἐν τάχει μέχρις οὗ ἱκανοὶ δοκοῦσιν ἐκβεβοηθηκέναι* derivata sunt e § 3 verbis *σπεύδειν ἰόντας ἐν τάξει.* XVI § 2 et 3 ex XV, 2—3 comparatae sunt; XVI, 7 ex XV, 5 praeter verba *ἐπιτίθεσο δὲ τοῖς πολεμίοις, ἐν οἷς ἄκων μὲν μὴ μαχήσῃ. μαχόμενος δὲ μὴ ἔλασσον ἕξεις τῶν πολεμίων,* quae ex XVI, 18 fin. comparata sunt; §§ 8—10 verbosam repetitionem § 4 et 5 continent; § 14 *οἷς οὖν εὐπορία ζευγῶν καλὸν τὸ πλεονέκτημα ταχύ τε καὶ νεοκμήτας* (sic) *τοὺς στρατιώτας εἰς τὸ δέον ἐλθεῖν* ex proxime antecedentibus hausta sunt; §§ 19—20 rhetoricis ambagibus amplificata continent, quae § 18 praecepta erant; §§ 21—22 ex § 13 fluxerunt. — XVII, 4 *διὸ δεῖ* (Med. *δή*) *πρὸς τὰς τοιαύτας ἐπιβουλὰς ἐν οὐδενὶ καιρῷ ἀφυλάκτως διακεῖσθαι* hausta ex § 1. § 5 *κώλυμα οὖν οὐ μικρὸν τοῖς βουλομένοις νεωτερίζειν* conficta ex proximis. XVIII, 21 *ἔτι δὲ καὶ ᾗ τοῦ τείχους καὶ κατὰ τί τῶν φυλακείων λελόγχοι. τούτῳ οὖν τῷ τρόπῳ σημαίνων ἐνέδωκε. ταῦτα δεῖ οὖν συμβαλλόμενον πάντα φυλάττεσθαι καὶ τὰς πύλας αὐτὸν τὸν ἄρχοντα κλείειν καὶ μὴ ἄλλῳ διδόναι τὴν βάλανον* ex parte secundum antecedentia efficta, ex parte ex XX, 1 hausta. XVIII, 22 *διὸ δεῖ πάντα τὰ τοιαῦτα προνοεῖν* spectant ad praecedentia. XXII, 5 *ἐγρηγορέναι τε ὡς πλείστους ἄμεινον ἐν τοῖς κινδύνοις καὶ πάντα φυλάξαι ἐν τῇ νυκτὶ, ἵν' ὡς πλεῖστοι καθ' ἑκάστην φυλακὴν προφυλάσσωσιν* secundum § 4 et 5 conformata. § 6 *διὸ δεῖ τὰ τοιαῦτα μὴ ἀγνοεῖν* spectant ad §§ 5—6. § 8 ex 7 derivata est. XXIII, 5 *διὸ δεῖ μηδὲν τῶν τοιούτων παρορᾶν* ex proxime antecedentibus ad § 1 similitudinem conficta. § 6 extr. *προνοοῦντα οὖν καὶ τὰ τοιαῦτα μὴ ἑτοίμως ἀποδέχεσθαι* et 11 extr. *διὸ δεῖ πάντα τὰ τοιαῦτα ὑποπτεύειν καὶ*

μὴ ἀλογίστως νύκτωρ εἰς πολεμίους ἔξοδον πλήθους ποιεῖσθαι ex § 6 verbis fluxere. XXIV, 18 *προενθυμεῖν δὲ τῶν κυνῶν μὴ διὰ τὸν συριγμὸν ἀσύμφορον ἐξ αὐτῶν ᾖ* profecta sunt ex XXIII, 2; XXXVIII, 3: cf. pag. 145. XXVIII, 7 *δοκεῖ δέ μοι συναγαγόντα δηλωτέον, ἵνα δὴ φυλάσσησθε καὶ ἐν οἷς καιροῖς ἕκαστα, ἵνα τις μηδὲν εὐήθως ἀποδέχηται* soloece efficta ex sequentis cap. initio. XXIX, 2 *ἔστιν δέ οἱ* (quae dativi forma nusquam ab ipso Aenea usurpatur) *προςεκτέον εἰςκομιζομένοις* eadem ex § deducta. XXX, 2 *διὸ δεῖ τὰ εἰςαφικνούμενά τε καὶ ἠθροισμένα μὴ ἐκφέρεσθαι εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ νυκτερεύειν ὅπου ἂν τύχῃ ἀλλὰ πλὴν δείγματος τὸ ἄλλο πλῆθος ἐκτίθοιτό τις εἶναι δημοσίᾳ κρίνειν*, de quorum vocabulorum emendatione et interpretatione cf. ed. Orell. pag. 224; ed. Turic. pag. 111 et 174: partim illa ex § 1—2 derivata sunt, alteram partem procul dubio Hercherus recte suspicatur ex genuinis Aeneae verbis, quae interpolator loco suo exturbarit,[162]) effictam esse. Eodem modo fortasse additamentum, quod post XXXI, 31 adscriptum est: *καὶ τάδε τὰ πεμπόμενα γράμματα εἴς τινα τόπον τῷ πεμπομένῳ δῆλον γίνεσθαι ἐλθόντος τοῦ ἀνθρώπου εἰς τὴν πόλιν καὶ πωλοῦντός τι ἢ ὠνουμένου, ὅτι ἥκει αὐτῷ γράμματα καὶ κεῖται ἐν τῷ τόπῳ· καὶ οὕτω οὔτε ὁ φέρων οἶδεν ὅτῳ ἠνέχθη οὔτε ὁ λαβὼν γνωστός ἐστι* (sic) *ὅτι ἔχει*, ex iis praeceptis Aeneae, quae procul dubio sede sua detrusit — nam nullus est nexus sententiarum inter § 31 et 32 — est derivatum; aut effinxit ea interpolator ex § 15—16. XXXI, 35 *περὶ τὴν τῶν τοιούτων ἐπιμέλειαν τῷ πυλωρῷ ποιητέον, ὡς ἂν μηθ' ἓν λανθάνηται εἰς τὴν πόλιν εἰςφερόμενον μήτε ὅπλον μήτε γράμματα* ex XXIX, 1 et 2 derivata sunt.

2) Altera classis eas interpolationes complectitur, quibus exponitur, quem ad finem vel quali cum eventu ea, quae Aeneas facienda praecipit vel gesta ab aliis narrat, praecipiantur vel gesta sint. Accedit nonnumquam laudatio

---

162) Cf. quae dixi de XVIII, 21 pag. 124.

rhetoricum in modum conformata (*τεχνικῶς δὴ δοκεῖ* vel *καλῶς δὴ δοκεῖ* etc.). Huc pertinent hi loci:

IX, 3 *τούτων δὲ οὕτω πραχθέντων τοῖς μὲν φιλίοις θάρσος ἐμποιήσεις, ὡς ἐπιχειρῶν τι ἀλλ' οὐ δεδιώς· τοῖς δὲ πολεμίοις φόβον ἐμπαρασκευάσεις, ὥςτε ἐπὶ τῆς αὐτῶν ἠρεμεῖν.* XI, 9 quae post Aeneae verba *ἵνα κατὰ τὰς φυλὰς ὄντες οἱ πλούσιοι μὴ δύνωνται . . . . ἐπιθέσθαι* adiecta sunt: *ἀλλ' ἐν ταῖς φυλαῖς ὄντες διακεχωρισμένοι ὦσιν ἐν πολλοῖς ὀλίγοι φυλέταις. καλῶς δὲ δοκεῖ καὶ ἀγχινόως μετ' ἀσφαλείας διαλῦσαι τὸ μέλλον.* 10 *συνέβαινεν καὶ ἐνταῦθα διεσκεδασμένους εἶναι τοὺς πλουσίους καὶ ἐν ταῖς ἑκατοστύσιν ὀλίγους* (Med. *ὀλίγας*) *ἑκάστοθι παραγίνεσθαι ἐν πολλοῖς δημόταις.* XVIII, 11 *προνοητικῶς δὴ δοκεῖ ποιηθῆναι πρός τε τὸν χαλκέα μηδὲν ὑποπτεῦσαι, ὅ τε σίφων οὗ ἕνεκα ἐργασθεὶς εἴη καὶ ἡ φορμοῤῥαφὶς καὶ τὰ ἄρμενα γίνεσθαι.* 17 *τοῦδε ἕνεκα, ἵν' εἰ καθυπνώσας τύχοι, ἐγερθείη σπώμενος ὑπὸ τοῦ λίνου.* XXII, 10 post *οὕτω* verba *πολλοὶ δὲ* (Med. *τε*) *καὶ ἅμα περιοδεύουσι.* Eiusdem hominis perperam Aeneae sententiam interpretati sunt: quae exstant in calce § 13 *διὰ τὴν φωνήν τε τῶν περιόδων καὶ τὸ βάλλειν, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς τὸν σιγώμενον τόπον.* 26 *καὶ οὕτω τὸ ἥμισυ τῆς στρατιᾶς νύκτα ἑκάστην φυλάξει.* XXVII, 4 *καθ' οὓς ἂν οὖν τοῦ στρατεύματος μὴ ἀντιπαιανίζωσιν, εἰδέναι κατὰ τούτους τὸν φόβον ὄντα.* 8 *διὰ γὰρ τὸν φόβον τοῦ παραγγελθέντος οὐδένα ἂν ᾤετο ἀμνημονήσειν.* — XXXI, 9 ea, quae Hercherus minus bene, ut exposui, in marginem rescripsit, sequuntur interpolata: *τεχνικῶς δὲ δοκεῖ φωράσαι, ὅτι τὰς πεμπομένας παρὰ τοῦ ἀνθρώπου ὅτι καὶ ἔλαβεν* (*οὐ κατέλαβεν* bene Turic.)· *ἦν γὰρ αὐτοῖς ἀρνηθῆναι καὶ φάσκειν ἐπιβουλεύεσθαι ὑπό τινος· τὰς δ' ἀνταποστελλομένας λαβὼν ἀναντιλέκτως ἤλεγξεν.* 23 *ἀνύποπτος δὴ δοκεῖ εἶναι ἡ κομιδὴ τῆς ἐπιστολῆς καὶ ἐνδεδυκότος τινὸς τὸν χιτωνίσκον καὶ οὕτω φερομένου* et 24. XXXII, 7 *καὶ πολὺ ἰσχυρότερον ὁ ἀντικριὸς γίνεται.* 12 post *ὀρύσσειν* verba *ἵνα μὴ εἰςέλθωσιν.* XXXVII, 7 *ὅθεν καὶ νῦν χρῶνται αὐτῷ ἐν τῇ νυκτὶ , γνωριοῦντες ᾗ ὑπορύσσεται.* —

Num omnia, quae attuli, additamenta uni eidemque inter-

polatori tribuenda sint, dubium est. Certe ab eodem omnia profecta sunt, quae a verbis *διὸ δεῖ* vel *οὖν* similibus incipiunt; ab eodem omnia ea, quae laudationem continent (*προνοητικῶς* vel *τεχνικῶς* vel *καλῶς δὴ δοκεῖ, ἀνύποπτος δὴ δοκεῖ εἶναι*): hicce rhetor, qui laudibus suis Aeneae verba ditavit, vetustissimus videtur interpolator commentarii poliorc. esse neque multo Aenea inferior aetate: cf. pag. 6 extr. — 7. Hercher. annot. ad XXXI, 24, pag. 95 ed.

II. Quae praeterea amplificandi vel illustrandi causa addita sint.

Proxime ab iis, quae in altera prioris generis classe enumeravimus, absunt, quae eo consilio adiecerunt interpolatores, ut aut amplificarent Aeneae sententiam, aut adscriberent, quae ad res ipsas illustrandas desiderari putarent. Haud parva horum additamentorum pars iisdem auctoribus attribuenda est, a quibus prius genus profectum est: ita e. gr. procul dubio ea, ubi *ὁ πεμπόμενος* vocibus is designatur, ad quem epistula mittitur, eius hominis sunt, qui adiecit, quae post XXXI, 31 (cf. pag. 181) inveniuntur; XXI, 1 verba ab eodem adscripta sunt, qui in calce XVIII, 11 (cf. pag. 182) sententiam suam apposuit: nam utroque loco vox *ἄρμενα* singulari notione adhibita est. — Sed fortasse omnia, quaecumque in commentario poliorc. interpolata exstant, paucis iisdem hominibus umbratilibus rerum militarium curiosis vindicanda sunt: nam ne mere grammatica quidem additamenta, quae mox erunt tractanda, ab eiusmodi rhetoribus vel philosophis[163]) abhorrere mihi videntur.

Ad hanc classem spectant verba: I, 2 *ὡς χρὴ πορεύεσθαι παρά τε τὰ ἐπικίνδυνα χωρία καὶ ἐρυμνὰ καὶ στενόπορα καὶ πεδινὰ καὶ ὑπερδέξια καὶ ἐνεδρευτικά* post voces *τοὺς ἐν*

---

[163]) Quos tamen minime eidem aetati attribuerim, immo alia vetustiori (cf. huius pag. initium), alia recentiori aetate adiecta puto: sed tam lubrica est haec quaestio, ut fere nihil certi possit explorari.

τῇ πορείᾳ τόπους addita. II, 2 *ὄντων πολλῶν καὶ μεγάλων* ad *τρίποσιν* apposita. 6 *διὰ τὰς φράξεις τῶν ἁμαξῶν* appicta ad *ἄπειροι ὄντες ᾗ χρὴ σωθῆναι*: hausta sunt ex § 5. III, 6 *τέκνα καὶ γυναῖκας, οὐ πρόσω αὐτῶν διατελοῦντες* ad *τοὺς κατ' οἶκον* adiecta; postrema fluxere ex vocibus eiusdem § *ἐγγυτάτω τῶν σφετέρων οἴκων*. IV, 2 *ἔφερεν πύργαστρήνην* (*πῦρ ἐν γάστρῃ*) adscripta postquam *διαπρήσας* ex *διαπρίσας* ortum est. 3 *δι' ἄγνοιαν ἀπόλλυνται οἱ γάρ* addita ad *πολλοὶ τῶν Χαλκιδέων*: comparata sunt ex insequentibus. VII, 3 *καὶ καθιστάναι* apposita ad *εἰς φυλακὴν ἰέναι*. VIII, 1 *εἰς τὴν χώραν*, quae verba ad *προςδεχόμενον* apposita sunt. 2 *εἰς τούτους* post *οἷα* adiecta respiciunt verbum *λιμέσι*. 4 *ἄλλα* vox adscripta est ad *στάσιμα ὕδατα*. 5 post *παραλείπεται* interpretandi causa addita *ὡς δεῖ ἕκαστον τούτων γίνεσθαι, ἵνα μὴ καὶ ταῦτα λίαν πολλὰ δηλοῦται*. X, 4 *ἢ ἐν βουλῇ* post *ἐν πρυτανείῳ*. 8 *προςηγγέλθαι* ante [*μὴ*] *ὁρμίζεσθαι*. 11 *ἐν αὐτοῖς* interpolator adscripsit ad *τὸν ἐθέλοντα*. 15 *ἕως ἂν παραγγελθῇ* post *βαδίζειν*. 21 *καὶ ὁρῶν κατὰ πολλὰ ἰσχυρὸν αὐτὸν ὄντα* addita ex insequentibus *γνοὺς ὅτι περὶ αὐτὸν πολλὴ μετ' εὐνοίας ἰσχὺς ἔσοιτο*. 26 *ἵνα δὲ πρός τι κοιτασθῶσι* post *λαμπτῆρας* adscripta ex § 25 fin. XI, 1 *διὰ τάδε*. 7 *εἶναι ἀποῤῥήτους πολεμίους αὐτῷ καθίστησιν αὐτοὺς καί*. 9 *ἄλλως* (pro *ἄλλοσε*) *ἐκθῆται τὰ ὅπλα* ad explicanda vocabula *ἄλλῃ τὰ ὅπλα ἐξενεγκάμενος φανῇ*. XII, 3 cum excidisset *οἱ Κυζικηνοί* additae sunt voces *αὐτοῖς οἱ τῶν Καλχιδονίων σύμμαχοι* (cf. Sauppium l. l. pag. 741). XVI, 4 *προςδεχόμενοί τινας βοηθοῦντας ὑμῶν ἄτακτον βοήθησιν*: fluxerunt haec ex proxime praecedentibus vocibus. 11 *ἑκουσίως καὶ ἀνυπόπτως* post *μὴ ἐπικαταλαμβάνειν* adiecta. 18 *ὑμᾶς* ad *ἄρχειν* adscriptum. XVIII, 16 *ῥίνῃ ἢ σμίλῃ* repetita ex § 5. XX, 1 *καὶ τὴν ἐπιμέλειαν* apposita post *τὴν κλεῖσιν*. XXI, 1 interpolator ex VIII cap. hausit. 2 *ὃν τρόπον δεῖ γενέσθαι* adiecta ad *γραπτέον* (*γέγραπται* Herch.). XXII, 1 *ἢ στρατοπέδῳ* post *πόλει*. 4 ad voces *διὰ βραχέων — φυλάσσειν* explicandas appicta sunt verba *πολλὰς εἶναι τὰς φυλακάς*, simul *ἀνθρώπους* ad *ἅμα πολλούς*. 11 *ἅπερ ἤδη γεγονότα*

περὶ τὰ ἡμεροσκοπεῖα δεδήλωται: spectant haec ad cap. VI, 6 ἵνα τοῖς τῶν πολεμίων σκοποῖς μὴ κατάδηλοι ὦσι πορευόμενοι ἐπὶ τὰ ἡμεροσκοπεῖα, neque vero, ut Hercherus putat, ad VI, 4. — 13 verba τῆς πόλεως post τὸ ἔσω μέρος explicandi causa addita exstant. 14 verba ἢ αὐτόμολον post κατάσκοπον inepte adiecta sunt. 19 καὶ μήτε λαθεῖν μήτε φθάσαι ad κινδυνεύειν. 27 τῶν στρατηγῶν post ἐν ταῖς περιοδείαις. XXIII, 5 ποιοῦντες δὲ ταῦτα ἐφύλασσον μή τις αὐτομολήσῃ hausta ex § 1; cf. XL, 5 ποιοῦντες δὲ ταῦτα ἐφύλασσον μὴ διαγγελθῇ. — 6 προςάγεσθαι βουλόμενοι τοιοῖςδε ἀπατήμασιν ad τεχνάζουσι primitus in margine annotata. XXIV, 7 καὶ τούτων ὡς αἰχμαλώτων adiecta post παιδαρίων fluxere ex antecedentibus verbis. 8 καὶ εἰς ἄλλας ξένας πράξεις ὁρμήσαντες amplificandi causa apposita in margine. 17 ἐάν τε Ἕλληνες ἐάν τε βάρβαροι ὦσιν inepte ad amplificandas voces τοῖς ἄλλοις addita. XXVII, 8 παρήγγειλεν ἐν πᾶσιν ex eadem § hausta. XXVIII, 5 τοὺς μὲν τῶν πολιτῶν λαθόντες, τοὺς δὲ φθάσαντες, τινὰς δὲ τῶν ἔσω συνεργοὺς ἔχοντες adscripta ad κατέσχον τὴν πόλιν. XXIX, 1 ἐν οἷς ἄν τι κρυφαῖον ἐνῇ, οἷς (Med. ἐνίοις) ἤδη πόλις καὶ ἀκρόπολις κατελήφθη. 6 ἐν τοῖς ἐρίοις καὶ ἀχύροις adiecta ad κεκρυμμένα. 8 ad voces οἱ ἄλλοι illustrandas annotata sunt verba κατὰ τὴν πόλιν οἱ δὲ ἐν ἑορτῇ. ib. post ἐξείλισσον vocabula πρὸς τὰς λήψεις τῶν δοράτων καὶ ἀκοντίων comparata secundum finem §. 10 καταλαβεῖν illustrandi causa ad ὥρμησαν adiectum. 12 ὅπλα περικεφαλαίας ad ἔπλεκον ἀσπίδας voces. XXX, 1 ὧν ἀθροισθέντων πλῆθός τι γένοιτο post παντοπωλείων ad verba εἰςαγόμενα καὶ — ἐκτιθέμενα ὅπλα adscripta. XXXI, 1 ἐπέμφθη ἐπιστολὴ ὧδε. 2 post ἀδηλοτάταις exstat πλὴν τῷ πεμπομένῳ: cf. 3 ἐπιστιγμαῖς διὰ πολλοῦ ἢ γραμμαῖς παραμήκεσιν, ἃ τοῖς μὲν μηδεμίαν ὑπόνοιαν ἕξει, τῷ δὲ πεμπομένῳ γνωστὴ ἔσται ἡ ἐπιστολή. 14 παρὰ τὸν πεμπόμενον post ἀφίκηται, et ea, quae post § 31 adscripta exstant. — 4 πρὸς τὸ μὴ ἀφανίζεσθαι ὑπὸ τῶν ὑδάτων τὰ γράμματα ad explicanda verba πρὸς τοὺς πηλοὺς καὶ τὰ ὕδατα addita. ib. εἰς τὸ μεταξὺ post ἐντεθήτω. 12 ἐν τῇ ληκύθῳ ἐνοῦσαν post τὴν

χύστιν. 15 *καὶ τὸν ἵππον λευκὸν* adiecta, postquam *βούλῃ, μάλιστα μὲν λευκόν* in *βούλῃ, ἱματισμὸν λευκὸν* abiit. 17 *διὰ γραμμάτων* ante *ἐμφανισθήσεται.* 25 *εἰς ὅπερ ἐτόξευον* ad *χωρίον.* 27 *διὰ πνεῦμα καὶ φαυλὴν πτέρωσιν* ad verba *ἁμαρτὼν τοῦ χωρίου* adiecta. 28 *καὶ οὐκ εὔπορον ὂν γράμματα λαθεῖν φέροντα* ad *ἅτε φυλασσομένων τῶν ὁδῶν:* ut illa in § 25 et 27, ita hoc additamentum apud Herod., ex quo Aeneas hausit, deest. 33 voces *παρὰ τὸ μὴ εὐθὺς ἀνοῖξαι καὶ ἀναγνῶναι τὰ γεγραμμένα* explicantur emblemate *ἀλλ' ἀμελήσαντος αὐτοῦ, πρὸς ἄλλοις δὲ γενομένου πρότερον.* XXXII, 12 verba *ἢ ὀρύσσεται* comparata ex § 11 interpolator apposuit ad *πρότερον ἢ πεσεῖν τὸ τεῖχος.* XXXIII, 2 *ἐσκευασμένον* ad *οὕτως* additum invenitur. XXXIX, 2 *ἅμα δὲ καὶ κεκρυμμένης οὔσης* in margine adiecta ad illustranda verba *μὴ προειδότες τὴν τάφρον.* 6 *ἡμέρας μὲν* ante *κρυφαίους* et *νυκτὸς δὲ ἀκρύπτους* inepte ab interpolatore appicta sunt. ib. *προςκαλούμενοι ἀκροβολισμοῖς* post *οἷς* vocem adiecta: derivata sunt e § 1 verbis *ἀκροβολίζεσθαι καὶ προάγειν τῶν πολεμίων τινάς, ὥςτε συνειςδραμεῖν.* XL, 1 *μὴ ἔχοντες ὅπῃ καταβαίνωσιν,* adscripta ad *πάλιν ἀπίωσι* voces, fluxere ex illis *ἐν ἀπορίᾳ γενόμενοι μὴ δύνωνται καταπηδᾶν,* quae genuina Aeneae sunt.

De XXXI, 8 verbis *τῶν πολεμίων* (post *προνομήν*) cf. pag. 61.

III. De mere grammaticis additamentis.

Cum illa ad res ipsas illustrandas magis spectent, nonnullis locis mere grammatica additamenta deprehendimus, adiecta ad ipsa singula vocabula explicanda: saepius ea *καί* vel *ἤ* voculis additis in textum a librariis recepta sunt. Inveniuntur autem eiusmodi emblemata hisce locis:

prooem. 1 *πατρις* ad *οἰκεία χώρα* adscriptum est. IV, 3 *φέροντες* ad *ἐτίθεντο.* 9 *ἐκράτησε* ad *ἐγκρατὴς ἐγένετο.* VIII, 4 *φθείροντα* ad *ἀφανίζειν.* X, 15 *ἐπὶ βωμοῦ* ad *ἐν ἱερῷ.* 16 *δυναστεύοντι* ad *μονάρχῳ.* XI, 7 *τινὰς τῶν ὑπεναντίων ὄντων τῷ δήμῳ* ad *τῶν ἐπιθησομένων δύο.* XIV, 2 *γιγνόμενα*

ad *πράττοιτο*: nam *πράττοιτο* retinendum videtur cum Hertlino. XV, 9 *πάσῃ ῥώμῃ καὶ προθυμίᾳ* ad *πασσυδί*. XVI, 5 *οἰνωθέντες* ad *πόσεως πληρούμενοι*. XVII, 1 *πομπαί* ad *ἱεροποιίαι*. XVIII, 16 *ἀψοφητί* ad *λαθραίως*. XXII, 2 *τὸν τοῦ ὅλου ἡγεμόνα* ad *τὸν στρατηγόν*. XXIII, 2 *ἄφωνα ποιοῦντα* ad *ἀφανίζειν*. XXIV, 2 ad *Διόσκοροι Τυνδαρίδαι* voces adiecta sunt verba: *περὶ ἑνὸς εἴδεος δύο ὀνόματα οὐ τὰ αὐτὰ καὶ ἄλλοτε δέ*. 5 *πυλίδα* ad *ἐκτομάδα* vocem Aeneae peculiarem interpretandam appositum est: similiter XXVIII, 2. — XXV, 4 *ἢ ἀνελέσθαι* ad *ἔχειν ἐν τῇ χειρὶ ἅραντα*. XXVII, 1 ad *πάνειον* verba *ἔστι δὲ τὸ ὄνομα Πελοποννήσιον καὶ μάλιστα Ἀρκαδικόν* (cf. pag. 17). 2 *αἰσθήσονται* ad *γνώσονται* appositum fuit, falso autem loco postea in textum irrepsit. XXXI, 4 *δούς τι φέρειν* ad *ἀντεπιστείλας* verbum rarissimum. 8 *πολέμιον* ad *ἀντικαθήμενον*. 24 ad ipsa vetustissimi interpolatoris verba *οὕτω διατεταμένοι* alius lector postea videtur addidisse *καίτοι τοσοῦτόν ἐστιν αὐτοῖς ἡ σπουδὴ καὶ ἡ φυλακή*. XXXII, 1 *ὑφάπτειν* ad *ὑποθυμιᾶν* explicandum additum est. XXXIV, 1 *τὸ πῦρ* ad *αὐτό*. XXXV *ὅπερ οὐ πάντῃ κατασβέννυται* ad *ἰσχυρόν*. XXXVIII, 1 *σώμασι* ad *νεοκμῆτες* interpretandum: neque enim recte mihi Hercherus videtur statuere *ὦσι* praedicatum, quod desideratur, a librario in *σώμασι* corruptum esse, sed *ὦσι* illud emblemate *σώμασι* loco suo deturbatum esse puto. ib. *μαχομένους* ad *τοὺς ἐν τῇ πόλει* adscriptum est.

Paucis locis interpolator in margine apposuit, quae ut structurae verborum satisfieret, necessaria putabat, quamquam revera nihil erat addendum:

I, 1 *τοῦ ἄστεος* ad *τὴν διάθεσιν* adiectum est ab interpolatore, quem fugiebat genetivum *τῆς πόλεως* huc quoque referendum esse. VI, 4 *τόποις* falso ad *ἐπ' ἄλλοις*: neque enim haec est sententia: „hic illic *διαδεκτῆρες* collocandi sunt,“ sed *διαδεκτῆρες*, quorum alius alium excipit. X, 20 *αὐτούς* post *μεθιστάναι*: primitus in margine ad *ἐκπέμποντα* videtur adscriptum fuisse. XXVI, 9 *χωρίου* ad *ἐκ πλείονος*. XXVII, 15 *οὕτω* additum propter sequens *ὅπως*.

Ad eandem classem spectat, quod XXIX, 4, ubi diversa armorum genera nominantur, *ὅπλα* et XXXII, 9 ad totum locum inde a § 8 *ἔπειτα ἔσωθεν ἀνταίρειν κ. τ. λ.* verba *ἐρύματα τῶν εἰςαφιεμένων βελῶν* lemmatis instar in margine primitus adscripta fuerunt, posteaque in textum ipsum irrepserunt. — Omnino autem capitum quoque lemmata posteriore tempore constituta videntur.

Correctorem aliquem Hercherus putat voces XXII, 17 *τοὺς τοιούτους καιρούς*, quae in Med. post *ἑορτάς* leguntur, ad emendanda verba § 18 *τοῦ στοιχείου τοὺς καιρούς* in margine adiecisse. Idem *ἐν τάχει* vocabula XXVIII, 3 pro varia lectione verbi *τάχιστα* habet. Ac mihi utrumque suo iure videtur suspicari.

Sed iam finem faciamus difficillimae huius quaestionis, quam instituimus de atheteseon ratione in Aeneae commentario poliorcetico statuenda. Intelleximus igitur multa quidem ibi interpolata inveniri, nec tamen ad tantam licentiam progressos esse interpolatores, quantam editores, praecipue Hugius, deprehendisse sibi visi sunt.

Iam tertio capite ad aliquot locos corruptos emendandos nos accingamus.

CAPUT III.

Coniectanea critica de Aeneae commentario poliorcetico.

Quoniam satis iam de tota natura libri Aeneani primo capite exposuimus, statim ad rem ipsam aggrediamur. In eligendis vero locis capitum commentarii poliorcetici ordinem sequi praestare videtur.

In prooem. 2 verbis: *τοῖς δὲ ὑπὲρ τῶν μεγίστων μέλλουσι κινδυνεύειν, ἱερῶν καὶ πατρίδος καὶ γονέων καὶ τέκνων καὶ τῶν ἄλλων, οὐκ ἴσος οὐδ' ὅμοιος ὁ ἀγών ἐστιν, ἀλλὰ σωθεῖσι μὲν καὶ καλῶς ἀμυναμένοις τοὺς πολεμίους φοβεροὺς τοῖς ἐναντίοις καὶ δυςεπιθέτους εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον εἶναι, κακῶς δὲ προς-*

ενεχθεῖσι πρὸς τοὺς κινδύνους οὐδεμία ἐλπὶς σωτηρίας ὑπάρξει. enuntiati *ἀλλὰ σωθεῖσι — εἶναι* verbum finitum excidisse recte Hercherus perspexit: neque enim *ὑπάρξει,* quod sequitur, illuc quoque referri potest. Inserendum erit post *πολεμίους* illud verbum *ἔξεσται* vel *προχωρήσει*: nam nequit cogitari Aeneam, praecipue in ipso prooemio, tam ambigue fuisse locutum, ut *πολεμίους* accusativum, qui a verbo *ἀμυναμένοις* pendet, et *φοβερούς,* quae vox ad ipsos *τοὺς ἀμυναμένους* spectat, iuxta poneret. Ita vero, ut proposui scriptis verbis . . . *ἀλλὰ σωθεῖσι μὲν καὶ καλῶς ἀμυναμένοις τοὺς πολεμίους ἔξεσται (προχωρήσει) φοβεροὺς τοῖς ἐναντίοις καὶ δυςεπιθέτους εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον εἶναι, κακῶς δὲ προςενεχθεῖσι — οὐδεμία ἐλπὶς σωτηρίας ὑπάρξει*, bene omnia se habent. Futurum tempus *ἔξεσται, ὑπάρξει* requiri participia *σωθεῖσι, ἀμυναμένοις, προςενεχθεῖσι* ostendunt, futuri exacti, quod vocant, loco posita (pro *ἐὰν σωθῶσι, ἀμύνωνται κ. τ. λ.*): neque insuper, cur Hertlinus et Hercherus a scriptura cod. Med. recesserint et *ὑπάρξει* in *ὑπάρχει* mutaverint, video. — De cod. Med. lacunis cf. pag. 62.

II, 6 Aeneas, ubi narravit, quomodo Plataeenses Thebanos nocte oppido potitos aggressi essent, pergit: *ἅμα δὲ τούτοις τὰ γύναια καὶ οἱ οἰκέται ἦσαν ἐπὶ τοῖς κεράμοις, ὥςτε βουλομένων τῶν Θηβαίων ἐπιθέσθαι καὶ ἀμύνεσθαι ἐν σκότει, οὐκ ἐλάττω ἀπὸ τῶν ἁμαξῶν* (cf. § 5) *βλάβην ἢ ἀπὸ τῶν προςκειμένων αὐτοῖς ἀνθρώπων γενέσθαι.* Verba *τὰ γύναια καὶ οἱ οἰκέται ἦσαν ἐπὶ τοῖς κεράμοις* manca esse apparet: neque enim quo confugerint mulieres et servi refert, sed — id quod et Aeneae, quae statim in eadem § sequuntur, verba et Thucydidis II, 4, unde hoc exemplum fluxit: *ἔπειτα πολλῷ θορύβῳ αὐτῶν τε προςβαλόντων καὶ τῶν γυναικῶν καὶ τῶν οἰκετῶν ἅμα ἀπὸ τῶν οἰκιῶν . . . λίθοις τε καὶ κεράμῳ βαλλόντων ... ἐφοβήθησαν* demonstant — quomodo mulieres etiam et servi damno hostes affecerint. Quamobrem equidem scribendum puto *τὰ γύναια καὶ οἱ οἰκέται εἶσαν ἐπ' αὐτοῖς κεράμους*: „mulieres simul et servi lateres in eos coniecerunt.“ Aurium vero lapsu men-

dum ortum esse puto[164]), cum εἴσαν item sonaret atque ἦσαν, ἐπ' αὐτοῖς simillime quam ἐπὶ τοῖς. — Quod aoristum pono, et in ipsa hac narratione et alibi Aeneas tempora variat: cf. pag. 27, cap. I, C, I, 3.

IV, 9 in enuntiato: ἐπεὶ δὲ οἱ ἐκ τῶν Μεγάρων ὡς λεληθότες ἀπέβησαν καὶ ἀπὸ τῆς θαλάττης ἐγένοντο, ἐξαναστὰς ὁ Πεισίστρατος τῶν ἐνεδρῶν τῶν τε ἀνδρῶν διέφθειρε τοὺς πλείστους κ. τ. λ., voces ἀπὸ τῆς θαλάττης ἐγένοντο mendosae videntur: nam rerum conexu haec sententia efflagitatur „cum Megarenses navibus escendissent et aliquanto longius a mari progressi essent", quoniam consentaneum est Pisistratum ibi insidias collocasse, unde non statim in naves refugere possent hostes. Procul dubio igitur scribendum est ἀπωτέρω τῆς θαλάττης ἐγένοντο, collatis locis IV, 10; XVII, 3; XXVIII, 4, ubi ἀπωτέρω significat „in einiger (groesserer) entfernung," cum hac vi numquam ἀπό apud Aeneam inveniatur: e contrario XXVI, 1 verba ἀπὸ δείπνου ὄντες significant: „quoniam modo coenaverunt".

VI, 6 praecipitur: ἄριστον δὲ ἱππασίμων ὄντων τῶν τόπων (articulus deest in Med.) καὶ ὑπαρχόντων ἵππων ἱππέας συνιμείρειν, ἵνα διὰ τῶνδε θᾶσσον ἀγγέλληται. Cum vocabulum συνιμείρειν sensum non praebeat, Hercherus συνεργεῖν, Hugius (proll. critt. pag. 39) σύσσημα αἴρειν, quod in σύσσιμ' αἴρειν corruptum fuisse putat, legendum censet. Sed Hercheri coniectura paulo magis a litteris traditis recedit, Hugianum vero illud inventum prorsus ineptum est, quoniam equites non signa tollere, quod aeque bene pedites possunt, sed ipsi quam celerrime nuntium in urbem afferre ex Aeneae sententia debent. Medela lenissima facile ex ipsis litteris corruptis eruitur: scribendum enim est procul dubio, quoniam de hemeroscopis agitur, συνημερεύειν (cf. pag. 63—64), in quod equidem quoque incideram, antequam cognossem, idem Bursianum iam Hugio commendasse[165]).

ib. 7 legimus verba: σύνθημα δὲ ἔχειν αὐτοὺς ἓν καὶ τὸ

[164]) Cf. pag. 63—64.

[165]) Cf. praefat. ed. Hug. pag. XII.

αὐτὸ, ὅπως μήτε ἑκόντες μήτε ἄκοντες, ἐὰν συλληφθῶσιν ὑπὸ τῶν πολεμίων, εἰπεῖν ἔχωσι τὸ τῶν ἐν τῇ πόλει σύνθημα. Mendum inesse in his verbis facile est intellectu: luce scilicet fere clarius est nihil interesse, utrum speculatores eandem inter se tesseram habeant necne, sed cavendum esse, ne eandem, quam oppidani milites habeant, qua cognita facillime hostes in urbem penetrare possint. Ad emendandum locum multum contulere Turicenses, recepto in textum verbo *μή:* neque vero, si scribitur *σύνθημα δὲ μὴ ἔχειν αὐτοὺς ἓν καὶ τὸ αὐτό* difficultates removentur, cum dubitari possit, utrum inter se speculatores non eandem tesseram habere necesse sit, an ab oppidanorum militum tessera diversam. Quod autem Meierus post *σύνθημα δὲ ἔχειν αὐτοὺς ἓν καὶ τὸ αὐτό* excidisse statuit verba *ὁμοίως δὲ τὴν πόλιν* vel *τοὺς ἐν τῇ πόλει ἓν καὶ τὸ αὐτό*, longius mihi repetitum videtur, etsi sensui ea scriptura succurritur. Melius et facilius verba sanari censeo, si aut loco vocis *αὐτούς* scribimus *ἀστοῖς*, articulo simul inserto, ita ut sic legatur: *σύνθημα δὲ μὴ ἔχειν τοῖς ἀστοῖς* (cf. X, 5; 8) *ἓν καὶ τὸ αὐτὸ, ὅπως κ. τ. λ.* (quoniam praeceptum hoc loco habemus, subiectum verbi *ἔχειν* omitti potest: cf. pag. 41); aut scribimus *σύνθημα δὲ μὴ ἔχειν αὐτοὺς τοῖς ἐν τῇ πόλει ἓν καὶ τὸ αὐτὸ κ. τ. λ.:* verba *τοῖς ἐν τῇ πόλει* eo facilius oculorum lapsu excidere poterant, quod litterae *τοῖς ἐν τῆι πό*[*λει*] simillimae sunt illis [*αὐ*]*τοὺς ἓν καὶ τό:* cf. pag. 61 de haplographia; 62 de lacunis; quod vero in eodem enuntiato exstant verba *τῶν ἐν τῇ πόλει*, pag. 49 docui talia saepius apud Aeneam inveniri.

X, 9 et alia Aeneas praecipit, si peregrini in urbem perveniant, et hoc: *τοὺς δὲ ἄρχοντας ἀπογράφεσθαι καὶ παρ' ᾧ τινες ὅτ' ἂν* (sic Med.) *κατάγωνται.* Pro *ᾧτινες* iam Casaubonus scripsit *ᾧτινι;* Hercherus cum non intellegeret, quid *ὅτ' ἄν* sibi vellet, deletis litteris *οτ* exhibuit *ἀπογράφεσθαι καὶ παρ' ᾧτινι ἂν κατάγωνται.* Aeque facile vero, cum maiore etiam commodo sententiae corrigemus *ἀπογράφεσθαι καὶ παρ' ᾧτινι καὶ οἷοι* (quales homines) *κατάγονται:* neque enim solum refert apud quos cives, sed magis etiam quales peregrini sint; nec non sequente altero *καί*, quid illud ante

παρ᾽ ᾧτινι positum sibi velit, perspicitur. *οἷοι* facillime in *ὅτ᾽ ἂν* corrumpi potuisse non est, quod pluribus exponam. *καί* vero saepe omissum esse a librario Med. pag. 62, denique *ο* et *ω* ab eodem alibi quoque inter se confusa esse pag. 63 exposui.

ib. 17 Aeneas, ubi in antecedenti enuntiato, quibus praemiis afficiendi essent ii, qui regem vel ducem exsulem interfecissent, docuit, haec praecipit: *καὶ ἐάν τις τῶν συνόντων τῷ φυγάδι ἢ μονάρχῳ ἢ στρατηγῷ πράξῃ τι τῶν προκειμένων, ἀποδίδοσθαι καὶ κάθοδον αὐτῷ εἶναι.* (Quae sic Casaubonus vertit: „Si quis e familiaribus aut domesticis exsulis aut tyranni aut ducis aliquid eorum, quae praecedunt, patrarit, dependi huic dicta summa debet, ac praeterea reditus ab exilio concedi.“) Mendum latere in verbis *πράξῃ τι τῶν προκειμένων ἀποδίδοσθαι* Hercherus asteriscis positis post verbum *προκειμένων* significavit, quod facile sanari posse mihi videtur. Suspecta enim sunt vocabula *τι τῶν προκειμένων*, cum toto hoc loco de una regis vel ducis exsulis caede agatur. Neque praeterea sine damno structurae et dativus et accusativus obiecti, qui vocantur, a verbo *ἀποδίδοσθαι* dependentes omittuntur. Quae cum ita sint, mihi persuasum est verba *τι τῶν* ex *τούτωι* dativo, qui desideratur, corrupta esse itemque genetivum *προκειμένων* ex accusativo sing. num. eiusdem generis *προκείμενον* et articulum *τὸ* ante hanc vocem excidisse. Quod ad palaeographicas rationes attinet, de *τούτῳ* voce in duas partes discissa cf. pag. 60. sub litt. b), de *ο* et *ω* litteris in *προκειμένων* verbo commutatis pag. 63, de articulo omisso pag. 62. Omnia illa cum egregie cum cod. Med. natura consentiant, sic Aeneam scripsisse censeo: *καὶ ἐάν τις τῶν συνόντων τῷ φυγάδι ἢ μονάρχῳ ἢ στρατηγῷ πράξῃ* (scil. *ἀποκτείνῃ ἐκεῖνον*), *τούτῳ τὸ προκείμενον ἀποδίδοσθαι καὶ κάθοδον αὐτῷ εἶναι.* — Optime verba ita, ut proposui, mutata in sensum quadrare satis clarum est. Nam paulo ante Aeneas ad incitandos civium animos, ut quidquid proditionis civitati immineret, irritum facere studerent, iusserat *ἀνηγγέλθαι ἀργύριον καὶ τὸ*

ἀναγγελθὲν ἐμφανῶς προκεῖσθαι ἐν ἀγορᾷ ἢ ἐν ἱερῷ, certeque hoc loco, ubi de regis vel ducis exsulis caede perpetranda agitur, de eadem ratione cives vel alios ad facinus illud suscipiendum permovendi cogitari debet.

ib. 18 haec sunt tradita: *ἐν δὲ ξενικῷ στρατοπέδῳ τοιάδ' ἀναγγείλαντα σιγὴν πάντων ἀκουόντων κηρῦξαι,* („In mercennario exercitu, postquam talia edicta sunt, ut omnes sileant, est imperandum.“) Quae quid significent, nemo videt: nam quare iubentur milites quietos se continere, postquam edixit imperator? Immo restituto pristino verborum ordine haec ita cum sequenti § conectenda sunt, ut scribatur *ἐν δὲ ξενικῷ στρατοπέδῳ ἀναγγείλαντα σιγὴν πάντων τῶν ἀκουόντων τοιάδε κηρῦξαι· εἴ τις βούλεται ἀπιέναι — ἐξεῖναι κ. τ. λ.* Saepissime autem ordinem verborum in cod. Med. turbatum esse vidimus. Falsum esse, quod Hercherus *καί* vocula inserta § 18 a § 19 discernit, ipse sententiarum conexus luculenter demonstrat; cf. etiam Sauppium l. l. pag. 739.

Putaverit forsitan quispiam eo codicum lectionem defendi posse, quod non semel Aeneas paulo contortiore verborum collocatione usus sit: sed in iis exemplis, quae apud eum inveniuntur huius usus, enumeratis a me pag. 42—43, lenes tantum singulorum vocabulorum interpositiones deprehenduntur, nusquam tam ambigue et obscure locutus est Aeneas, quam hoc loco, si verba tradita recte se habere putaremus. Accedit, quod apud eum verbis *ὅδε, τοιόςδε* solent ea, ad quae spectant, statim inferri: cf. VII, 2; X, 1; 16; 26; XVIII, 9; XXII, 7; 9; XXIII, 1; 9; XXIV, 14; XXIX, 3 al.

Similiter ut X, 17, verbum librarii neglegentia discissum videtur XI, 8, ubi postquam expositum est, quemadmodum Argivorum duces plebi insidiati essent, haec Med. cod. praebet: *ἔδοξε τῷ τοῦ δήμου προστάτῃ ταχίστην ἐκκλησίαν συναγαγεῖν καὶ τὸ* (*μὲν* Herch. recte inseruit) *μέλλον μὴ προειπεῖν, ἵνα μὴ πᾶσα ἡ πόλις ταραχθῇ, εἰπόντα* (*εἰπεῖν* emendaverunt Turicenses) *δὲ ἄλλα καὶ ὅτι σύμφερον εἴη ἐν τῇ ἐπιούσῃ νυκτὶ σὺν τοῖς ὅπλοις πάντας μὲν οὓς παρεῖναι ἐν τῇ αὑτοῦ φυλῇ*


ὄντας (*ὄντα* correxit Meierus; *ἕνα* nullo iure Herch.) *ἑκατόν* (Meierus emendavit *ἕκαστον*). — Pro verbis *μὲν οὓς* aperte mendosis cod. Paris. C praebet *ἔχει οὓς*, unde Casaubonus collegit scribendum esse *οἷς ἔχει* ad verba *τοῖς ὅπλοις* referendum. Sed primum quidem etiam illud *ἔχει οὓς* librarii errore ortum est, deinde non est, cur Aeneam verba *οἷς ἔχει* adiecisse putemus, cum idem, quod illis Casaubonus significari vult, iam articulo ad verbum *ὅπλοις* apposito expressum sit, denique, quod gravissimum est, Casaubonus non debebat statuere *ἔχει* per numeri enallagen, quam vocat[166]), ad *πάντας* verbum esse referendum. Quod vero Turicenses proposuerunt *οὓς δεῖ* scribendum, Hercherus denique, quem Hugius secutus est, *ὁμοίως*, neque haec mihi satis probantur, cum utrumque superfluum sit, quin etiam Turicensium illud minus aptum ad sententiarum conexum. Quae cum ita sint, equidem conicio voculas *μὲν οὓς* revera esse postremas syllabas verbi *ἀσμένους*, cuius primae litterae propter extremas praecedentis vocabuli *πάντας* per haplographiam omissae sint. Legendum igitur censeo . . . *εἰπεῖν δὲ ἄλλα καὶ ὅτι σύμφερον εἴη ἐν τῇ ἐπιούσῃ νυκτὶ σὺν τοῖς ὅπλοις πάντας ἀσμένους παρεῖναι ἐν τῇ αὑτοῦ φυλῇ ὄντα ἕκαστον*, ita ut haec sententia efficiatur: „. . . insequenti nocte cum armis omnes prompto animo convenire in suam quemque centuriam.“

XX, 3 Aeneas praecipit: *ἄριστον δὲ τὴν βάλανον μὴ ἐξαιρετὴν εἶναι, ὑπὸ δὲ λοπίδος σιδηρᾶς κατέχεσθαι, ἵνα μὴ πλέον ἐξαιρομένη μετεωρίζηται τῷ καρκίνῳ ἢ ὥςτε μοχλῷ ὑποθεῖσθαι ἐπικλειομένων τῶν πυλῶν καὶ ἀνοιγομένων.* Ut omittam, quae de aliis verbis alii tentaverint, statim afferam Sauppium l. l. pag. 744 recte pro *ὑποθεῖσθαι* proposuisse *ὑποκεῖσθαι*, simul *τῷ* articulum ante *μοχλῷ* inseruisse; quibus medelis receptis Hugius proll. critt. pag. 40—41 post *ἀνοιγομένων* verbum *ἁρμόττειν* addendum putat, ita ut hic sensus efficiatur: . . . „ne sublimius attollatur pessulus per cancrum, quam ut, si portae claudantur, obici sit suppositus, si ape-


166) Cf. edit. Orell. pag. 155.

riantur, ut margines pessuli obicis margines adaequent." Quam coniecturam quod eo quoque dicit commendari, quod XXXVI, 1 ἁρμόττειν verbum eodem modo ab Aenea adhibeatur, errat: neglegit enim ibi ἁρμόττῃ per Hercheri coniecturam satis incertam textui illatum esse, XXXI, 12, quo loco Hercherus nititur, προςαρμόσαι transitiva vi usurpari. Praeterea quamquam tribus figuris Aeneae rationem Hugius illustrare studuit, tamen non omnia intellexit. Hoc enim commendat Aeneas: „Ita res institui debet, ut numquam possit pessulus super margines obicis attolli, sed semper infra eos positus sit: eum ad finem foramen, in quo pessulus inest, lamina ferrea claudi debet." Quoniam vero omnino, quando porta clausa aperitur, tantum semper aut altius pessulus est attollendus, quantum infra obicis inferiorem marginem in murum est porrectus, consentaneum est, si ita, ut hic iubet Aeneas, res instituitur, id spatium, quod clausa porta inter superiorem pessuli finem et superiorem obicis marginem vel, quod idem est, laminam ferream (λοπίδα), qua foramen, in quo pessulus inest, tegitur, interest, debere eadem esse longitudine, qua foramen, quod in ipso muro est, vel maiore: nam si minore esset, porta non posset aperiri, quoniam pessulus lamina impeditus, quominus supra obicis margines protraheretur, non satis attolli posset e foramine, quod in muro est. Quod quo facilius perspiciatur, figuras apponam:

I. Porta clausa.



II. Porta aperta.



(Contra si lamina ferrea non adhibetur, nihil interest, utrum minus an maius sit illud spatium quam foramen, quod in muro est, quoniam tum pessulus super obicis margines extolli, ex *βαλανοδόκῃ* extrahi potest).

Cum vero pessulus non sublevetur nisi in aperienda porta, recte se habere non potest, quod a verbis *ἵνα μὴ πλέον μετεωρίζηται* pendent illa *ἢ ὥςτε τῷ μοχλῷ ὑποκεῖσθαι ἐπικλειομένων πυλῶν*: nam ad claudendas portas non attollitur pessulus, sed deprimitur. Deinde quomodo sublevando pessulum effici possit, ut obici ille supponatur, infra obicem detrudatur, nemo videt. Neque vero removetur hic error Hugii coniectura accepta. — Mihi quidem non posse dubitari videtur, quin hic quoque, ut saepe in cod. Med., ordo verborum turbatus sit, ac simul alia leviora menda irrepserint: nam et sensus et structura non sanantur nisi scribendo: *ἵνα μὴ πλέον ἐξαιρομένη μετεωρίζηται τῷ καρκίνῳ ἀνοιγομένων, ἢ ὅσον τῷ μοχλῷ ὑποκεῖται κεκλεισμένων τῶν πυλῶν* „ne sublimius attollatur pessulus in aperiendis, quam infra obicem porrectus (suppositus) est clausis portis.“ Postquam *ἀνοιγομένων* vox sede sua amota est, facillime illa menda oriri potuisse non est, quod longius explicetur. — De toto claustrorum apparatu cf. edit. Turic. pag. 164—166, de hoc loco imprimis pag. 166.

XXII, 25, ubi Aeneas de aequandis per clepsydram vi-

giliis loquitur, exstant haec: *ταύτην* (scil. *τὴν κλεψύδραν*) *δὲ συμβάλλειν διαδοχῇ μερίδος, μᾶλλον δὲ αὐτῆς κεκηρῶσθαι τὰ ἔσωθεν, καὶ μακροτέρων μὲν γιγνομένων τῶν νυκτῶν ἀφαιρεῖσθαι τοῦ κηροῦ, ἵνα πλέον ὕδωρ χωρῇ, βραχυτέρων δὲ προςπλάσσεσθαι* (Med. *προςπελάσσεσθαι*), *ἵνα ἔλασσον δέχηται.* — De quo loco conclamato Hugius pag. 41 proll. critt. dicit: „*Ταύτην δὲ συμβάλλειν διαδοχῇ μερίδος.* Sic codex: Koechlyus scripsit: *ταύτης δὲ συμβάλλειν εἰς διαδοχὴν τὰς μερίδας.* Quae cum intellegere sese negaret Hercherus in minore editione haec periclitatus est *ταύτην δὲ μεταβάλλειν διὰ δεχ' ἡμερῶν*, quod velim ab eo esse explicatum, nihil ut dicam de audacia mutationis. Nam si intellegi vult clepsydram aquam suam per decem dies servasse, ingentis profecto magnitudinis ei fuisse videtur. Ego scribendum duco: *ταύτην δὲ συμβάλλειν διαδοχῇ μιᾶς μερίδος* „congruere clepsydram debere cum vice unius partis militum. (*μερίδος* nomen ita adhiberi notissimum est.) Clepsydrae igitur magnitudo singulis vigiliis respondebat, ut si tres essent vigiliae ter esset aqua in eam infundenda."

Fateor mihi quidem nullam illarum coniecturarum arridere, quoniam ne inventores quidem earum recte, quae proposuerunt, interpretati sunt. Sic Koechlyus verba *ταύτης δὲ συμβάλλειν εἰς διαδοχὴν τὰς μερίδας* verti vult: „die einteilung der wasseruhr bestimmt man ungefaehr fuer die abloesungen", cum vertenda sint: „man soll die teile derselben zur abloesung bestimmen!" nam quod ipse verbis suis subesse statuit, sic exprimendum est: *ταύτης δὲ συμβάλλειν πρὸς τὰς διαδοχὰς τὰς μερίδας.* Nec placet in Koechlyi coniectura verborum collocatio. — Quae Hercherus commendat *ταύτην δὲ μεταβάλλειν διὰ δεχ' ἡμερῶν*, ea ne minime quidem se intellexisse Hugius ostendit: hanc enim procul dubio sententiam Hercherus vult effici: „clepsydrae magnitudo decimo quoque die mutanda est". Sed primum quidem *διὰ δεχ' ἡμερῶν* nihil aliud significare potest quam „per decem dies", quod sensum non praebet (decimo quoque die est *διὰ δεκάτης ἡμέρας*); deinde — magis etiam in illis re-

gionibus — longitudo noctis intra decem dies minimo tantum mutatur, nec, cum plures vigiliae sint (cf. § 4—5), refert, utrum custos parvo momento diutius in statione sit an non. Ea tantum discrimina dierum et noctium, qualia diversis anni temporibus exoriuntur, imprimis aestate et hieme, Aeneas respicit. — Minus etiam Hugii coniectura habet, quo commendetur: „clepsydra congruere debet successioni („der abloesung") unius partis militum": aliud verba *ταύτην δὲ συμβάλλειν διαδοχῇ μιᾶς μερίδος* significare non possunt. Sed quidnam illud sibi vult? Praeterea numquam Aeneas *μερίς* vocem, quamquam saepe poterat, adhibuit, sed semper *μέρος*. — Illud denique commune est his tribus coniecturis, quod *μᾶλλον* vocabulum quid eo, quem tenet, loco sibi velit, nemo perspicit.

Quare mihi secus atque illis viris doctis statuendum videtur. Neque enim *διαδοχῇ* vocem retineri posse mihi persuasi nec *μερίδος*: nam agit Aeneas de optima ratione clepsydrae magnitudinem adaequandi discriminibus longitudinis dierum et noctium singulorum anni temporum, id quod verba *μακροτέρων μὲν γιγνομένων τῶν νυκτῶν* et *βραχυτέρων δὲ* clare ostendunt. Quod quo melius fiat, ceram iubet adhiberi. Credo igitur *διαδοχῇ* — fortasse aurium lapsu (cf. pag. 63, a) — corruptum esse ex *διαφοραῖς*: in *μερίδος* voce *ἡμερῶν* latere iam Hercherus recte intellexit. *μᾶλλον* autem, cum primitus post verbum *συμβάλλειν* positum fuisset, a librario aliquo propter similitudinem praecedentium litterarum omissum esse, deinde ab eodem vel a correctore superscriptum postea per errorem eius, qui illius codicem descripsit, falso loco irrepsisse puto. Scribendum igitur equidem proponam: *ταύτην δὲ ὥςτε συμβάλλειν μᾶλλον διαφοραῖς ἡμερῶν* (an forte *ἡμεριναῖς* in *ΜΕΡΙΔΟϹ* latet?), *αὐτῆς κεκηρῶσθαι τὰ ἔσωθεν, καὶ μακροτέρων μὲν γιγνομένων τῶν νυκτῶν ἀφαιρεῖσθαι τοῦ κηροῦ, ἵνα πλέον ὕδωρ χωρῇ, βραχυτέρων δέ προςπλάσσεσθαι, ἵνα ἔλασσον δέχηται.* Nemo, opinor, negabit et aptissimam hac scriptura sententiam reddi et vix leniori medela loco desperato succurri posse.

Perperam, ut hoc iam moneam, Turicenses totum praeceptum intellegunt, cum putant Aeneam *τρυπήματα,* per quae aqua ex clepsydra exstillat, cerari iubere (cf. pag. 170 ed.: „Je nachdem man nun, wie Aeneas vorschreibt, eines oder mehrere dieser loecher mit wachs verklebte, konnte man das wasser mit groesserer langsamkeit abfliessen lassen"). Nam hac ratione prorsus contrarium eius efficeretur, quod effici vult Aeneas, cum *μακροτέρων γιγνομένων τῶν νυκτῶν ἀφαιρεῖσθαι τοῦ κηροῦ* iubeat, *βραχυτέρων δὲ προςπλάσσεσθαι*: contra secundum Turicensium rationem *μακροτέρων γιγνομένων τῶν νυκτῶν προςπλάσσεσθαι* et *βραχυτέρων ἀφαιρεῖσθαι* necesse esset. Accedit, quod ipsa Aeneae verba docent ipsam interiorem partem clepsydrae (*τὰ ἔσωθεν*) cerandam esse, *ἵνα ἔλασσον δέχηται,* demendum de cera, *ἵνα πλέον ὕδωρ χωρῇ.*

XXVI, 7 Med. cod. praebet verba: *ἐν ὑποψίᾳ δ' ὄντων ἀλλήλοις χρὴ τὰς περιοδείας εἶναι κάτω τοῦ τείχους καὶ μὴ ἀναβαίνειν τοὺς περιόδους πλὴν τῶν φυλάκων* (cod. Casauboni *φυλακῶν*). Sed num *φύλακες* et ipsi ex *περιόδων* numero sunt? Quod quoniam vix quisquam contendet, cum Aeneam inter utrosque distinguere luculenter ostendatur his locis XXIV, 16; 19; XXVI, 2—6; 8—9; procul dubio scribendum est: *καὶ μὴ ἀναβαίνειν πλὴν τοὺς τῶν φυλάκων περιόδους* aut *πλὴν τοὺς τῶν φυλακῶν περιόδους* (nam vox *φυλακή* praeter tempus aut actionem custodiendi etiam significat stationem vigilum: cf. I, 8; VII, 3; XI, 10; XVIII, 1; XXII, 23; 28 extr.). *πλὴν* igitur pro adverbio habendum est. *οἱ τῶν φυλάκων* aut *φυλακῶν περίοδοι* vero sunt ii, qui vigiles in muro collocatos observant vel stationes circumeunt (vernacula: „die wachtpatrouillen"). Cum enim aliis temporibus necesse sit et infra murum et in muro esse circitores, *ὥςτε τινὰς μὲν τὰ ἔξω τοῦ τείχους ἐπισκοπεῖσθαι, τινὰς δὲ τὰ ἔσω* (§ 5), contra si alii cives aliis suspecti sunt, omnes *περιοδείας* infra murum esse iubet Aeneas neque ascendere nisi eos circitores, quibus vigiles in muro collocati observandi sunt: nam vigilum circuitiones numquam a cir-

citoribus omitti posse, ne ipsi vigiles possint urbem prodere, per se satis clarum est.

ib. (paulo inferius) si qua gravi clade affectus sit exercitus et periculum immineat, propinquis hostibus, Aeneas dicit: *χρὴ τὰ προγεγραμμένα κατὰ τὰς φυλακὰς πράσσειν καὶ τοὺς περιόδους.* Sed nonne haec unoquoque tempore — utpote in bello — fieri debent, etiamsi exercitus non calamitate afflictus est nec maius solito periculum imminet? Mendum igitur videtur in verbis inesse, quod tollitur inserta vocula *μέν* inter *τάς* et *φυλακάς*, quo facto optime omnia cohaerent. Haec enim evadit sententia: „Si clade exercitus afflictus est etc. . . . ea, quae praescripta sunt, quod quidem attinet ad vigiliarum dispositionem et circuitiones, sunt facienda. Neque vero, ut alias, enitendum est (§ 8) tali tempore, ut circitores procustodem neglegentem officium suum vel dormientem deprehendant, ne magis etiam animis deficiant milites, sed potius opera danda est, ut animi eorum reficiantur et augeantur.

XXVII, 11 tradita sunt haec: *στρατοπέδῳ θορυβουμένῳ νυκτὸς κηρύξας σιγῇ* (*σιγὴν* Casaub.) *ὁ κῆρυξ ἀνήγγειλε τὸν μηνύσαντα τὸν ἀφεθέντα ἵππον διώκειν θορυβηθῆναι.* Et verba *τὸν ἀφεθέντα ἵππον* et *διώκειν θορυβηθῆναι* corrupta esse cum appareat, pro illis recte Casaubonus secundum Xen. anab. II, 2, 20 verba *ὃς ἂν τὸν ἀφέντα τὸν ὄνον εἰς τὰ ὅπλα μηνύσῃ*, scripsit *τὸν ἀφέντα τὸν ἵππον*: quod autem pro *διώκειν* verbo proposuit: *δι' ὃν καί*, propter structuram ferri non potest. Sauppius pag. 747 postrema vocabula sibi videtur sanare scribendo *ὃν διώκοντας θορυβηθῆναι*: sed in his accusativus cum infin. coniunctus Aeneae imputari non potest; accedit quod neque in Xenoph. legitur eos, qui asinum persecuti essent, perturbatos esse a ducibus esse pronuntiatum, neque ad sensum hoc quadrat: qui enim equum persequebantur, eos terrore affici non potuisse apparet, sed eos tantum, qui cur hominum concursus factus esset, nesciebant e somno excitati. Removendum igitur est

verbum *διώχειν*. Atque equidem *διώχειν* suspicor ortum esse ex *δι' ὅνπερ* vel *δι' ὅν τοι*, in *θορυβηθῆναι* forma latere coniunctivum *θορυβηθῇ* simulque in postremis litteris mutilum initium vocis *τάλαντον*; nam verba *τάλαντον ἀργυρίου λήψεσθαι* recte iam Sauppius ex Xenoph. supplevit. Totum enuntiatum sic scripserim: *στρατοπέδῳ θορυβουμένῳ* (aut melius *στρατοπέδου θορυβουμένου*) *νυκτὸς κηρύξας σιγὴν ὁ κῆρυξ ἀνήγγειλε τὸν μηνύσαντα τὸν ἀφέντα τὸν ἵππον, δι' ὅνπερ* (*δι' ὅν τοι*) *θορυβηθῇ, τάλαντον ἀργυρίου λήψεσθαι.* — De temporum consecutione cf. pag. 45.

XXIX, 5—6 Aeneas, postquam inter vestes varia arma in urbem importata esse narravit, ita pergit: *ἅςπερ* (scil. *τὰς κιβωτούς*) *οἱ ἐλλιμενισταὶ ἀνοίξαντες καὶ ἰδόντες ὡς ἱμάτια μόνον κατεσημήναντο, μέχρι τιμήσαιντο* (cod. Med. *τιμήσονται*) *οἱ εἰςαγαγόντες. καὶ ταῦτα μὲν ἐτέθη ἐγγὺς τῆς ἀγορᾶς, ὅπου ἔδει.* Vernacula usus, quo magis omnia intellegantur, sic fere illa vertam: „welche die zollbeamten oeffneten und ansahen und als (nach ihrer meinung) nur maentel enthaltend declarirten, bis die einfuehrenden den zoll bezahlt haetten. Die kisten wurden nun in der naehe des marktes an dem gebuehrendem platze aufgestellt.“ Vocem *μόνον* Koechlyus post *ἰδόντες* ponendam putat, ita ut haec sententia efficiatur (secundum eius versionem): „die zollbeamten oeffneten und beschauten sie nur oberflaechlich und declarirten sie als maentel enthaltend“, quam aptam esse etsi minime negaverim, tamen cum tradita quoque verba non minus bene se habeant, superfluam esse Koechlyanam emendationem puto. Multo maiore iniuria Hercherum vocabula *ὡς ἱμάτια μόνον*, Hugium *ὡς* illud expungere supra pag. 84 docui. Malim exposuisse illos, quid sibi vellent verba *μέχρι τιμήσαιντο οἱ εἰςαγαγόντες* eo, quem occupant, loco: nonne omnino ab illo aliena sunt? Nec sequentia intelleguntur *καὶ ταῦτα μὲν ἐτέθη ἐγγὺς τῆς ἀγορᾶς, ὅπου ἔδει*: nam cur non statim in coniuratorum domos transportata sunt? Utrique loco medemur, si verba *μέχρι τιμήσαιντο οἱ εἰςαγαγόντες* in falsum versum a Med. cod. librario translata esse statuimus reponendaque post

ὅπου ἔδει illa, ita ut hic ordo vocabulorum constituatur: ὥσπερ οἱ ἐλλιμενισταὶ ἀνοίξαντες καὶ ἰδόντες ὡς ἱμάτια μόνον κατεσημήναντο. καὶ ταῦτα μὲν ἐτέθη ἐγγὺς τῆς ἀγορᾶς, ὅπου ἔδει, μέχρι τιμήσαιντο οἱ εἰσαγαγόντες. Nam de consulto ita coniurati rem instituerunt, ut omnia illa prope ipsum forum collocarentur, quo paratiora arma ad urbem nocte constituta opprimendam essent.

XXXIII, 3 tradita sunt verba: ἔπειτ' ἂν τινες ὦσι τῆς πόλεως ξύλινοι μόσυνες ἢ τοῦ τείχεός τι, χρὴ τούτοις ὑπάρχειν πρὸς τὸ μὴ ἐμπίπρασθαι ὑπὸ τῶν πολεμίων πλείους (πίλους Coraes ad Polyaenum pag. 367) κ. τ. λ. Vocem ξύλινοι ante μόσυνες recte se habere non posse ipsa vocis μόσυνες notione docetur. Parum vero Graece dictum esse, quod Turicenses scribunt ἢ τοῦ τείχεος ξύλινόν τι Hercherus vidit. Minime autem opus est cum Hugio (cf. annot. edit.) corrigere ἢ τοῦ τείχους ἄλλο τι ξύλινον, sed simpliciter scribendum videtur: ἔπειτ' ἂν τινες ὦσι τῆς πόλεως μόσυνες ἢ τοῦ τείχους τι ξυλινόν κ. τ. λ. („vel aliqua pars muri lignea“), quod et sermoni Graeco et sensui satisfacit.

Sed omnino § 3 et 4 in cap. XXXIII locum habere non possunt: nam § 1 et 2 Aeneas agit de incendendis hostium machinis, quae sub murum admotae sunt; his autem praeceptis nec per se annecti possunt §§ 3—4, ubi de exstinguendo igni ab hostibus incenso praescribitur, et minus etiam voce ἔπειτα, quae ibi tantum locum habet, ubi in eadem re describenda pergitur. Hugius, quoniam asteriscos ante § 3 posuit, de lacuna videtur cogitare: sed ne hoc quidem mihi satis probatur. Immo procul dubio §§ 3—4 pristina sua sede amotae sunt in cod. Med. reponendaeque post XXXIV, 2: nam hoc capite demonstratur, quomodo optime hostes prohibeantur, quominus aliquam urbis partem incendant, quomodo, quae ab iis incensa sint, exstinguantur: aptissime igitur cum illis praeceptis voce ἔπειτα ea, quae XXXIII, 3—4 exstant, coniunguntur. — Eodem modo ea, quae XVI, 16—18 inveniuntur, ante XV, 1 primitus videntur collocata fuisse: cf. Herch. annot. ad

XVI, 16; praeterea item narrationem, quam post XXXI, 9 Hercherus delevit, post § 5 illius cap. reponendam esse supra pag. 85—87 demonstravimus.

XXXIV, 1 Mediceus praebet verba: *ἐὰν δέ τινες πολέμιοι παι ς ται ἐμπιπράμεναι ἰσχυραὶ σκευασίαι πρὸς* (Hercherus recte *πυρός*) *τὸ πῦρ* (quae verba ad *αὐτό* ab interpolatore adiecta esse Hugius vidit) *σβεννύειν χρὴ αὐτὸ ὄξει.* — Desperatum ab Herchero locum Hugius sanare sibi videtur scribendo: *ἐὰν δέ τι τῆς πόλεως καίηται ἐμπιπράμενον ἰσχυραῖς σκευασίαις πυρὸς, σβεννύειν χρὴ αὐτὸ ὄξει:* in quibus, nihil ut dicam de audacia mutationis (nam verbum *πολέμιοι* non habet, cur ineptum iudicetur), vocabula *καίηται ἐμπιπράμενον* male nos habent. Nam etsi coniuncta illa ferremus, participium praesentis poni non posset, cum postquam aliquid incensum est, flagret. Quod vero Turicenses proposuerunt *ἐὰν δὲ τῷ τείχει οἱ πολέμιοι πελασθῶσι καὶ ὑπ' αὐτῶν ἅπτωνται ἐμπιμπράμεναι ἰσχυραὶ σκευασίαι πρὸς τὸ πῦρ*, id Aeneam dedecere Hercherus perspexit. Quapropter equidem, inter *παι* et *ται* litteras *ρων* excidisse ratus scribam: *ἐὰν δέ τι οἱ* (pro *τινες*) *πολέμιοι πειρῶνται ἐμπιπράναι* (*μεν* per dittographiam sequentis syllabae *ναι* ortum) *ἰσχυραῖς σκευασίαις πυρὸς, σβεννύειν χρὴ αὐτὸ ὄξει,* quae verba lenissimis medelis restituta optime in sententiarum conexum quadrare vix quisquam infitiabitur.

XXXVI, 2 Aeneas, cum § 1 nonnulla ad hostes impediendos, quominus muros ascenderent, praecepisset, sic pergit: *ἐὰν δὲ ταῦτα μὲν δοκῇ εἶναι, πεποιῆσθαι χρὴ οἷον θύραν ἐκ σανίδων κ. τ. λ.* Quae mendosa esse cum intellexisset Casaubonus, legendum proponit[167]: *ἐὰν δὲ ταῦτα μὲν ἀδύνατα δοκῇ εἶναι* vel *δυςχερῆ* „si haec vix posse fieri videantur", recte quidem, quod ad sensum pertinet: at videamus, num facilius, quantum ad cod. memoriam, locus possit sanari. XXXVII, 9 *ἔσται οὖν τοῦτο καὶ προςαγαγεῖν, ὅποι βούλει . . . καὶ ἀπαγαγεῖν* et XVI, 17 verba *ἂν δὲ μὴ δυςείςβολος ᾖ ἡ χώρα,*

[167]) Cf. ed. Orell. pag. 279.

ἡ δὲ (pro ἤδη ex speciosissima Sauppii emendatione) πολλαχῇ πολλοὺς εἰςβάλλειν, demonstrant Aeneam verbum εἶναι eadem quoque vi, qua ἐξεῖναι, usurpare. Vox μέν vero hoc loco, de quo agitur, minus bene se habet, cum non sequatur δέ, quod ad eam spectet: quare in vocula μέν latere credo μόλις (nam ε et ο, Ν et ΛΙ facillime inter se commutari poterant), quod si cui minus placeat videat, num facilius μή corrigat. Quae cum ita sint, scribendum censeo: ἐὰν δὲ ταῦτα μόλις [aut μὴ] δοκῇ εἶναι, πεποιῆσθαι χρὴ οἷον θύραν ἐκ σανίδων. Videbis iam repudianda esse, quae Hercherus proposuit ἐὰν δὲ δοκῇ („si placet"), reiectis ταῦτα et εἶναι, ac magis etiam Hugii illud ἐὰν δὲ ταῦτα μέλλοντα vel μέλλειν δοκῇ.

XXXVII, 1 Aeneas, si hostes cuniculum agere videantur, quam altissimam fossam extra muros duci iubet, ut in fossam cuniculus perveniat et hostes conspiciantur. Sequuntur § 2 verba: ἐὰν δέ σοι ὑπάρχῃ καὶ τειχίον τειχίσαι εἰς αὐτὴν ὡς ἰσχυροτάτην καὶ μεγίστων λίθων. Orellius extrema vocabula sic scribit ὡς ἰσχυρότατον ἐκ μεγίστων λίθων, Turicenses ὡς ἰσχυρότατον καὶ ἐκ μεγίστων λίθων, Hercherus et Hugius altera mutatione accepta ὡς ἰσχυρότατον καὶ μεγίστων λίθων. Sed non bene hi duo superlativi ita inter se separantur, ut alter ad τειχίον, alter ad λίθων referatur: immo corrigendum est ὡς ἰσχυροτάτων καὶ μεγίστων λίθων. Accedit, quod Iulius Africanus quoque ἰσχυροτάτων praebet cap. LIV: ἐὰν δέ σοι ὑπάρχῃ καὶ τειχίον τειχίσαι εἰς αὐτὴν ὡς ἰσχυροτάτων καὶ μεγιστοτάτων (!), post quae verba λίθων excidisse et propter genetivum, et quod sequuntur vocabula ἐὰν δὲ μὴ ὑπάρχῃ τειχίσαι λίθοις, denique quod hucusque verbo tenus Iulius Aeneae cap. XXXVII, § 2 descripsit, elucet. — Quod ad sententiam spectat, apparet, si lapides firmissimi et maximi sint, murum, qui ex illis constet, et ipsum firmissimum esse.

Berolini typis Iulii Sittenfeld.